DE CONSCIENTIAE NOTIONE

QUALIS FUERIT

APUD VETERES ET APUD CHRISTIANOS USQUE AD MEDII AEVI EXITUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE IX. M. AUGUSTI A. MDCCCLXII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

IOSEPHUS IAHNEL

SILESIUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

G. SCHUPPE, PHIL. DR.

A. LOHMANN, PHIL. STUD.

I. GRUNDEY, PHIL. CAND.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE.

Conscientiae notio cum in philosophiae disciplinis versetur duabus, in psychologica disciplina et in ethica, quarum altera priore quasi fundamento nititur, de utraque nobis disserendum erit, si ea, quae ad conscientiae notionis originem et amplificationem pertinent, colligere et eo, quo inter se cohaerent, ordine proponere volumus.

Aetati autem, qua philosophia colebatur, ideoque res ab hominibus ratiocinando perquirebantur, mythologica, quae vocantur, tempora antecesserunt, quibus res occultae incognitaeque ea cogitandi forma et ratione, quam divinationem vocare possis, concipiebantur. cuius cognitionis cum magis sensus quam ratio dux esset atque magister, de iis rebus, quae a sensibus hominum sunt remotiores, exstiterunt non tam notiones quam opiniones. quid enim? homines vetusti, cum stupentes quid rerum natura efficeretur naturae vires et potestates, nisi formis hominibus animantibusque cognatis descriptas, percipere non possent, deos deasque creaverunt. simili modo earum rerum, quae in hominis corpore vel animo apparebant, et quarum caussae latebant, ratione habita a Graecis fictae sunt deae ut *Χάρις, Ἥβη.* denique illi animi motus, qui divina aliqua lege violata excitantur, Graecos eo minus effugie-

bant, quo acriore ad animi vires affectusque perscrutandos ingenio ornati erant. fixerunt igitur deas Erinyes, quae homines sceleratos persequerentur multisque modis cruciarent.

Tradit autem de harum dearum nomine Pausanias Descript. Graec. VIII, 25, 4, vocem *ἐρινύς* derivandam esse ab *ἐρινύειν,* quo verbo Arcades significaverint irasci, atque Cererem ab iis hoc nomine primo appellatam esse, quoniam Neptuno, qui Proserpinam filiam sibi eripuisset, succensuisset. ex quo intellegendum est, principio cum fabulam Erinyum loco singulari affixam fuisse, tum Erinyum nomen cuiusvis numinis iram significare potuisse; ex qua irascendi vi postea deae propriae exstiterunt. hunc autem deos fingendi modum non inusitatum fuisse, docemur aliis exemplis, ut nominibus: *Ἀπόλλων, Δημήτηρ, Ἥρα* (cf. O. Müller, Prolegom. zur Myth. p. 289), quae nomina explicari non possunt, nisi ex iis, quibus veteres singulorum numinum vires descripserunt. deinde ex Pausaniae verbis consequitur, unam tantum Erinyn primo fuisse, cuius munera postea tribus deabus data sunt. Erinyum natura ex iis quoque, quae de earum ortu tradita sunt, cognoscitur. Hesiodus enim docet (Theog. 185), Erinyes ortas esse ex Urani a Saturno mutilati sanguinis guttis. ex turpi igitur flagitio ducunt originem. apud Aeschylum Eum. 321 canit chorus Eumenidum: *μᾶτερ ἅ μ᾽ ἔτικτες, ὦ μᾶτερ Νύξ.* a Sophocle (Oed. Col. 40) Eumenides nominantur *Γῆς τε καὶ Σκότου κόραι.* ibid. v. 106: *παῖδες ἀρχαίου Σκότου.*

In omnibus autem Erinyum fabulis, quamvis non parum inter se differant, continentur fere haec: hominem,

qui iura divina scelere aliquo commisso violaverit iramque deorum excitaverit, Furias, legis neglectae vindices, cum taedis ardentibus et cantu atroci, quocunque fugiat, persequi et cruciare, neque prius ab eo absistere, quam homo sceleratus sacris lustrationibusque purgatus sit; quo facto diras deas mutari in benignas. temporibus quidem vetustissimis scelera gravissima et imprimis ea, quae naturae humanae repugnant, Furiarum poena puniri, mox alia quoque leviora earum iram atque vindictam excitare putabantur; quin etiam deae istae homines ad superbiam et malitiam adducere videbantur, ut optimo iure eos perderent. cf. Il. XIX, 87; Odyss. XV, 233. eiusmodi autem de deorum poena fabulas non solum apud Graecos, sed etiam apud alias gentes fuisse, constat. e. g. gentes, quas Arianas vocant nostrates, numina esse crediderunt, quae spaças (i. e. speculatores) nominata Furiarum vice in homines, qui dei Varunae leges contempsissent, fungerentur. cf. Zeitschrift der deutsch. morgenl. Gesellschaft VI, 72.

Jam vero si quaerimus, quid illis Erinyum fabulis significatum sit, veteres ipsi docent, dearum istarum poenas esse conscientiae cruciatus. apud Lucret. R. n. (ed. Bernays) III, 1009 ss. leguntur haec:

„Cerberus et Furiae iam vero, et lucis egenus
Tartarus horriferos eructans faucibus aestus,
quid? neque sunt usquam nec possunt esse profecto:
sed metus in vita poenarum pro male factis
est insignibus insignis, scelerisque luella,
carcer et horribilis de saxo iactu' deorsum,
verbera, carnifices, robur, pix, lammina, taedae:
quae tamen etsi absunt, at mens sibi, conscia factis,
praemetuens adhibet stimulos terretque flagellis, cet.“

Cic. Rosc. Am. 24. „... suae malae cogitationes conscientiaeque animi terrent. hae sunt impiis assiduae domesticaeque Furiae.“ cf. Parad. 2. recte illi quidem. nam Erinyum fabulae hoc modo explicandae esse videntur: homines cum legis divinae conscii essent ipsis insitae atque innatae, quae praecipiebat, ut colerent parentes, iusiurandum haberent sanctum inviolatumque, nemo non putabat, deum quempiam hanc legem sanxisse atque cavere ne violaretur; quare si quis legem quae pro divina habebatur neglexisset, deus irasci iratusque (ἐρινύς) sceleratum ulcisci credebatur, nec non, quisquis erat iste deus, ἐρινύς nominabatur et tanquam numen, cuius munus esset, scelestos homines punire, colebatur. Veterum de Furiis opinioni assentiunt nostri mythorum interpretes: Welcker (Griechische Götterlehre I, 699), Braun (Griechische Götterlehre p. 165), quamquam alii, ut Gerhard (Griech. Mythol. I. 584), Preller (Griech. Mythol. p. 521), censent, rationem illis fabulis expressam latiorem esse, quam quae nostrae voci Gewissen insit. concedendum est nonnulla de Furiis esse tradita, quae nostris de conscientia sententiis repugnent, sicut illud, deas ipsas hominibus mala consilia inicere, ut eos puniant. hoc enim cum veterum de deorum invidia opinione cohaeret. nihilo secius tenendum est principalem Furiarum rationem esse conscientiae timores cruciatusque, ita ut dubitari nequeat, quin vetustissimorum temporum homines sibi conscii fuerint potestatis conscientiae.

Ad philosophorum de conscientia doctrinas exponendas adgredientes, omissis philosophis Ionicis, quippe

qui de rerum natura tantum disputaverint, statim venimus ad Pythagoreorum sectam, quae gravitate Dorica imbuta de vita pie sancteque degenda praecipue philosophata est. Dicto illo *ἕπου θεῷ* Pythagorei contemplationes suas morales complexi sunt, quas in disciplinae formam redigere studuisse dicitur Pythagoras ipse. Aristotel. M. M. I, 1, p. 1182, a. 11: *πρῶτος μὲν οὖν ἐνεχείρησε Πυθαγόρας περὶ ἀρετῆς εἰπεῖν, οὐκ ὀρθῶς δέ.* quamquam igitur Diogenes Laertius I, 36 dictum *γνῶθι σαυτόν,* quod templo Delphico inscriptum erat, Thaleti Milesio, alii aliis adscripserunt; recte tamen coniecisse videtur O. Mueller, Dorier II, p. 394, illam sententiam ex ingenio Pythagoreorum Dorico ortam esse, praesertim cum Pythagorei Delphico cum oraculo quodammodo coniuncti fuerint, ita ut Aristoxenus apud Diog. L. VIII, 21 Pythagoram Pythiae Themistocleae discipulum fuisse dixerit. plura tamen de Pythagoreorum doctrina, quae ad nostram quaestionem spectent, afferri non possunt; cuius rei caussa fortasse sola est ea, quod incerti sunt aut deficiunt fontes, ex quibus ea hauriamus.

Magis nobis arridet, quod Socratis iam tempore opinionem propagatam fuisse invenimus, hominis menti inesse leges non scriptas. Soph. Antig. 454 sq.:

... οὐδὲ σθένειν τοσοῦτον ᾠόμην τὰ σὰ (*Κρέοντος*)
κηρύγμαθ᾽, ὥς τἄγραπτα κἀσφαλῆ θεῶν
νόμιμα δύνασθαι θνητὸν ὄνθ᾽ ὑπερδρομεῖν.

cf. Oedip. R. 864 sq.; Thuc. II, 37. quae sententia optime convenit cum iis, quae Anaxagoras docuit *περὶ νοῦ.* gravem enim acremque de numinis divini et humanae animae necessitudine contemplationem illa doctrina prae

se fert. Anaxagorae scriptorum reliquiae et quae de eius doctrina traduntur, suspicari nos impellunt, eum censuisse, *τὸν νοῦν* (*τὸ πᾶν διήκοντα καὶ κινοῦντα*) et animam humanam esse eiusdem naturae. Aristot. de anim. I, 2: *Ἀναξαγόρας ... τὸ αἴτιον τοῦ καλῶς καὶ ὀρθῶς τὸν νοῦν λέγει, ἑτέρωθι δὲ τοῦτον εἶναι τὴν ψυχήν*; et eodem capite: *Ἀναξαγόρας δ' ἔοικε μὲν ἕτερον λέγειν ψυχήν τε καὶ νοῦν ... χρῆται δὲ ἀμφοῖν ὡς μιᾷ φύσει.* alios locos affert Schaubach: Anaxagorae Clazom. fragment. p. 186. Anaxagoras igitur primus praecepit, animalium animam aliquid esse divinum, cum *νοῦς* hominem omnemque naturam penetrans atque ordinis motionisque principium (cf. fragm. 8 apud Schaub., Plat. Cratyl. 400 *A.*; Arist. de an. I, 2) ipse deus esset. Sext. Emp. adv. Mathem. IX, 6: *νοῦν ὅς ἐστι κατ' αὐτὸν θεός*, Tzetz. Exeges. in Iliad. ed. Herm. p. 67: *Ἀναξαγόρας δὲ καὶ ὁ κωμῳδὸς Μένανδρος νοῦν εἶναι τοῦτον* (*Δία*) *ἐνόμισαν.* plures locos invenies apud Schaub. l. l. p. 152.

Ab ea hominis parte quam Anaxagoras *νοῦν* appellaverat — sed magis designaverat quam explicaverat (*ὅσα γε ψυχὴν ἔχει ... πάντων νοῦς κρατεῖ*, fragm. 8 apud Schaubach p. 100) — philosophari orsus esse videtur Socrates, quippe qui sibi proposuisset, ut animae naturam perscrutaretur, cum putaret, se hoc modo deo Delphico obedientem esse, qui praescripsisset: *γνῶθι σαυτόν.* propterea Socrates quaesivit, num ipse divini numinis particeps esset necne. Plat. Phaedr. p. 230: ... *σκοπῶ οὐ ταῦτα* (*ἀλλότρια*), *ἀλλ' ἐμαυτόν, εἴ τέ τι θηρίον ὢν τυγχάνω Τυφῶνος πολυπλοκώτερον καὶ μᾶλλον ἐπιτεθυμμένον, εἴτε ἡμερώτερόν τε καὶ ἁπλούστερον*

ζῶον θείας τινὸς καὶ ἀτύφου μοίρας φύσει μετέχον. cuius quaestionis responsio legitur apud Xen. Mem. VI, 3, 4: *ἀλλὰ μὴν καὶ ἀνθρώπου γε ψυχὴ . . . τοῦ θείου μετέχει.* hac cum Socratis de animae natura opinione artissime cohaeret, quod docet de daemonio suo. de illius autem daemonii vi et ratione cum alii aliter senserint — quas sententias refert Zeller, Die Philosophie der Griechen II, 1, p. 62 ss. — huc pertinet eorum opinio, qui daemonium censuerunt esse conscientiam, ut Stapfer, Biographie universelle t. XLII, Socrate, p. 531; Brandis, Geschichte der griech.-röm. Philos. II, p. 61; Rötscher, Aristophanes und sein Zeitalter p. 256; alii, quorum nomina invenies apud Volquardsenium, Das Dämonium des Socrates p. 64.

Etenim illius temporis philosophorum maximeque Anaxagorae doctrina factum esse videtur, ut Graeci sententiam, numen divinum esse unum, magis magisque complecterentur. Socrates vulgarem de diis orationem sequens plerumque de pluribus diis loquitur. interdum tamen voce *θεῖον* eos complectitur (Xen. Mem. I, 4, 18) vel voce *δαιμόνιον* (l. l. I, 4, 2). nomina *θεοί, θεῖον* et *δαιμόνιον* cap. cit. uni eidemque imponuntur notioni, qua significatur divinum aliquid mundum excedens atque hominis animam aliquo modo attingens (*ἡ ψυχὴ τοῦ θείου μετέχει*). Huic sententiae consentaneum est, numen divinum, sive *θεούς* vel *θεόν* sive *θεῖον* vel *δαιμόνιον* vocatum, nulla re intercedente mentem afficere et inflammare, quam affectionem Socrates pro dei voce habuisse et cui nomen, quod dederat numini ipsi, imposuisse videtur, ita ut de suo ipsius daemonio loqueretur idque augurum signis opponeret. ut enim

augures auspiciis quaerant, quid faciendum sit quid non, sic Socrati portendere daemonium ἅτε δέοι καὶ ἃ μὴ δέοι ποιεῖν, tradit Xenoph. Apol. Socrat. 12; Memorab. IV, 8, 1. nititur autem huius generis dictis eorum opinio, qui putant, daemonium esse conscientiam. repugnat tamen primum, quod daemonium nusquam cum morali factorum aestimatione, sed cum utilitate tantum et felici eventu coniungitur. hanc enim esse daemonii provinciam propriam, docet Socrates apud Xenoph. Memorab. I, 1, 8. 9 dicens, deos sibi ipsos retinuisse rerum gravium cognitionem, et si quis eos roget de iis rebus quas perscrutari hominis sit, deos laedi. ceterum de daemonii natura ne familiares quidem Socratis satis certos fuisse, testari videtur idem Xenophon Sympos. 8, 5, ubi Socrates arguitur signum, quod vocet daemonium, simulare, si actionis cuiuslibet caussam proferre nolit.

Minoris etiam momenti quam Xenophon habuit Plato illud Socratis signum, cuius admodum raro, si Apologiam Socratis exceperis, mentionem facit vocabulo δαιμονίου ut adiectivo semper utens, ut Krische, Forschungen auf dem Gebiete der alten Philosophie, p. 229 recte adnotat. Plato igitur non ut Xenophon numen aliquod illo verbo significat, sed daemonibus adhaerens aliquid vel ab iis procedens. utrum δαίμονες dei sint necne, Platoni haud magnae curae est, cum quae illuc spectant fabularum loco habeat, ut huius rei tractatio satis docet. cf. Apol. p. 27; Conviv. 202. vix aliter quam de daemonibus Plato de illo Socratis signo (cf. Phaedr. 242 *B*) agit, cum a Xenophontis sermone et sententia declinans Socratem a daemonio non admoneri, ut aliquid faciat

sed retineri tantum tradat, si aliquid *μὴ ὀρθῶς* facturus sit. Apol. p. 31: *ἀκηκόατε,* inquit Socrates, . . *ὅτι μοι θεῖόν τι καὶ δαιμόνιον γίγνεται, ὃ δὴ καὶ ἐν τῇ γραφῇ ἐπικωμῳδῶν Μέλιτος ἐγράψατο. ἐμοὶ δὲ τοῦτ᾽ ἔστιν ἐκ παιδὸς ἀρξάμενον, φωνή τις γιγνομένη, ἣ ὅταν γένηται, ἀεὶ ἀποτρέπει με τούτου ὃ ἂν μέλλω πράττειν, προτρέπει δὲ οὔποτε.* ibid. p. 40: *ἡ γὰρ εἰωθυῖά μοι μαντικὴ ἡ τοῦ δαιμονίου ἐν μὲν τῷ πρόσθεν χρόνῳ παντὶ πάνυ πυκνὴ ἀεὶ ἦν καὶ πάνυ ἐπὶ σμικροῖς ἐναντιουμένη, εἴ τι μέλλοιμι μὴ ὀρθῶς πράξειν· νυνὶ δὲ ξυμβέβηκέ μοι, ἅπερ ὁρᾶτε καὶ αὐτοί, ταυτί, ἅ γε δὴ οἰηθείη ἄν τις καὶ νομίζεται ἔσχατα κακῶν εἶναι. ἐμοὶ δὲ οὔτε ἐξίοντι ἕωθεν οἴκοθεν ἠναντιώθη τὸ τοῦ θεοῦ σημεῖον, οὔτε ἡνίκα ἀνέβαινοι ἐνταυθοῖ ἐπὶ τὸ δικαστήριον, οὔτε ἐν τῷ λόγῳ οὐδαμοῦ μέλλοντί τι ἐρεῖν· καί τοι ἐν ἄλλοις λόγοις πολλαχοῦ δή με ἐπέσχε λέγοντα μεταξύ. νυνὶ δὲ οὐδαμοῦ περὶ ταύτην τὴν πρᾶξιν οὔτ᾽ ἐν ἔργῳ οὐδενὶ οὔτ᾽ ἐν λόγῳ ἠναντίωταί μοι. τὶ οὖν αἴτιον εἶναι ὑπολαμβάνω; ἐγὼ ὑμῖν ἐρῶ. κινδυνεύει γάρ μοι τὸ ξυμβεβηκὸς τοῦτο ἀγαθὸν γεγονέναι, καὶ οὐκ ἔσθ᾽ ὅπως ἡμεῖς ὀρθῶς ὑπολαμβάνομεν, ὅσοι οἰόμεθα κακὸν εἶναι τὸ τεθνάναι. μέγα μοι τεκμήριον τούτου γέγονεν· οὐ γὰρ ἔσθ᾽ ὅπως οὐκ ἠναντιώθη ἄν μοι τὸ εἰωθὸς σημεῖον, εἰ μή τι ἔμελλον ἐγὼ ἀγαθὸν πράξειν.* dei vox igitur vel signum consuetum iis tantum in rebus a Socrate animadverti solebat, quarum notitiam homo assequi non potest, nisi de iis divino quodam inflatu instinctus divinet. quae divinationis vis nostra cum notione conscientiae ita sane congruit, ut utraque a deo ortum suum ducere credatur et dei voluntatem homini ostendere censeatur. attamen, si respexeris quibus de rebus

edoceamur conscientia, et de quibus Socratem edocuerit daemonium, magnam videbis inter utramque rem differentiam. daemonium iudicat de morte, utrum malum sit necne, conscientia vero de factis iudicat, honestane sint an turpia. deinde, si daemonium idem esset quod conscientia, cum illa tantum huius notionis parte congrueret, quae facta nostra praecedit et quae lex naturalis vocatur, cum daemonium nusquam rei cuiusquam memor esse aut quicquam iudicare dicatur. at lex naturalis et daemonium plane inter se diversa sunt, cum ad naturam hominis pertineat eique semper inhaereat illa, hoc autem insigne aliquid esse et proprium atque praeter Socratem vix cuiquam contigisse censeatur apud Plat. Rp. VI, 496 *C.* quibus omnibus refutatur sententia eorum qui arbitrati sunt, daemonium esse conscientiam.

Vera de daemonio doctrina continetur illis, quae leguntur apud Schleiermacherum, Platons Werke I, 2, p. 300: Socrates selbst versteht unter daemonium nur eine besondere Wirkung oder Offenbarung des oder eines unbestimmt welchen höheren Wesens, et reliquis. quam doctrinam secutus rem accuratius disputavit Krische l. c. p. 230 hisce: Richtig wird man nur verfahren können, wenn man den rein geschichtlich gehaltenen Satz bei Xenoph. mit Platons Aussage verbindet, und darnach werden wir wohl bestimmt, jene Regung der Seele, welche als Ahnung erscheint, auf ein auffallend starkes Gefühl zurückzuführen, dessen Aeufserungen, eben weil das psychische Leben trotz der vorwaltenden Richtung auf die menschliche Natur noch nicht ergründet war, keine natürliche Ableitung finden und deshalb blos in dem Göttlichen ihren Ur-

sprung erhalten konnten, weshalb auch Socrates seinen Schülern auf die Frage über diese Erscheinung die Antwort schuldig blieb (Plut. de Genio Socr. 20), so dafs selbst Antisthenes Zweifel darein setzen mochte (Xen. Sym. 8, 5). Philosophisch gefafst würden wir hier mit den Alten den Begriff des Daemonischen mit dem des *ἀκούσιον* zusammen fallen lassen; denn was nicht in unserer Macht steht, was unsere Natur nicht tragen kann, und was nicht von Natur in unserem Triebe oder in unserer Ueberlegung gegründet ist, ist ein Unfreiwilliges oder nach antiker Vorstellung ein Daemonisches; dazu gehört die Begeisterung und Weifsagung, der gewaltige Drang der Begierde, die starke Macht der Gefühle (Arist. Eth. Eudem. II, 8). Allein die Stimme kommt dem Socrates unmittelbar von der Gottheit; treibt sie nie an, so liegt hierin genugsam ausgesprochen, dafs der Weise keiner Aufmunterung bedurfte, bei dem der Trieb gleich lebendig und bleibend war, wohl aber einer Abmahnung in Dingen, deren Ausgang nach menschlicher Einsicht im Voraus nicht bestimmt werden konnte (Xen. Mem. I, 1, 9).

Itaque cum Socratis de daemonio suo existimatio ad veterum de furore divino opinionem pertineat, certum disciplinae moralis fundamentum iecit illud, quod virtutem esse scientiam docuit. cf. Arist. Eth. Nic. VI, 13: *Σωκράτης .. φρονήσεις ᾤετο εἶναι πάσας τὰς ἀρετάς;* et: *Σωκράτης μὲν οὖν λόγους τὰς ἀρετὰς ᾤετο εἶναι, ἐπιστήμας γὰρ εἶναι πάσας.* quae scientia cum ex arbitrio Socratis in summo bono investigando et definiendo versetur (cf. Xen. Mem. III, 19, 4), homo autem, quid

ipsi bonum sit, non nisi ex sui ipsius conscientia cognoscere possit, sui ipsius contemplationem ad sapientiam necessariam esse censuit, atque cum huic contemplationi per totam vitam vacaret, ad eam maxime homines excitavit. illam autem sui conscientiam scriptores illius aetatis exprimere coeperunt verbo *συνειδέναι*. invenitur enim iam ante Socratis tempus verbum *συνειδέναι* significans, scire aliquid cum aliquo, ita ut duo vel plures sciant aliquid simul. cf. Aeschyl. Choeph. 214; Herod. VI, 57; VIII, 113. hac verbi significatione sola usus est etiam Sophocles. cf. Electr. 93; Oed. R. 250, 207, 704; Antig. 266; Oed. Col. 952. apud Euripidem vero verbum *συνειδέναι* significat rei alicuius sibi conscium esse. Med. 495: *ἐπεὶ σύνοισθά γ᾽ οὐκ εὐόρκος ὤν;* Or. 291: *ὅτι σύνοιδα δείν᾽ εἰργασμένος.* retinet tamen saepius Euripides priorem significationem, sicuti Med. 1269; Ion. 956; Electr. 88, alibi. eadem ratione usurpat hanc vocem Aristophanes Equit. 184: *συνειδέναι τί μοι δοκεῖς σαυτῷ καλόν;* Vesp. 999: *πῶς οὖν ἐμαυτῷ τοῦτ᾽ ἐγὼ συνείσομαι;* priorem significationem invenies Ran. 960; Thesm. 475; Plut. 214. apud Platonem etiam et Xenophontem, Socratis discipulos, vox *συνειδέναι* principalem significationem retinet. cf. Phaedr. 157 ***D***; Apol. 34 ***B***, alii loci; Xen. Hist. gr. III, 3, 6; III, 3, 10. usurpat autem idem Xenophon illud verbum ut significet alicuius actionis vel habitus sibi conscium esse, veluti dei timoris (Cyrop. I, 6, 4), iniuriae (Mem. II, 9, 6; Apol. 24; Anab. I, 3, 10). itidem apud Platonem Apol. 21 ***B***: *ἐγὼ γὰρ δὴ οὔτε μέγα οὔτε σμικρὸν ξύνοιδα ἐμαυτῷ σόφος ὤν;* Phaedr. 235 ***C***: *ξυνειδὼς ἐμαυτῷ ἀμαθίαν;* Rp. I, 331 ***A***: *τῷ*

μηδὲν ἑαυτῷ ἄδικον ξυνειδότι ἡδεῖα ἐλπὶς ἀεὶ πάρεστιν: cf. Apol. 22 *C*; Conv. 216 *A*, *B*; Theaet. 206 *A*; Rp. X, 607 *C*; Legg. VI, 773 *B*.

Est ergo Socratis philosophiae illa maxima laus, quod sui ipsius conscientiae locum quem in philosophia tenere debet attribuit, ita ut omni philosophiae maximeque morali disciplinae certum esset fundamentum.

Plato iamiam docet, animam esse aeternam atque immortalem. degisse enim eam ante hanc vitam coelestem vitam et beatam in choro aeterno versantem et rerum species intuentem. postea autem casu aliquo delapsam et corpore esse indutam. quo facto animae naturam quidem, qua semper appetat, ut species illas aeternas spectet, non esse mutatam, sed inferioribus ipsius partibus a summo bono, quod sit ideas spectare, detrahi et corpore gravari. specierum autem principales quarum adspectu deorum hominumque animae aeterno gaudio fruantur esse ideas boni pulchri et veri. animam igitur quae adspectu illo orbata sit, nihil magis appetere, quam ut celerrime in coelestem chorum recipiatur. quod fieri, si hac in vita ab omni intemperantia se abstinuerit, vel si animae pars superior seu τὸ λογιστικόν habenas, quibus eiusdem partes inferiores, τὸ θυμοειδές et τὸ ἐπιθυμητικόν, quasi equi violenti refrenentur, nunquam remiserit. hoc autem esse perdifficile atque effici non posse nisi a philosophis, qui rerum caussas, quibus idearum memoria reviviscat, intellegant. itaque esse in philosophis inter animae partes harmoniam, cum unaquaeque pars sua propria (τὰ ἑαυτοῦ) agat. in philosophis solis τὸ λογιστικόν, cuius sit regnare, partes inferiores, quarum sit obedire,

severe acriterque coercere. sequi enim illud rationale ideas, quas secum de coelo tulerit retineatque memoria. specierum signa igitur animae impressa vel *τὰ νοήματα* philosopho esse semina virtutis et normam vivendi, et apud eos inveniri veram virtutem, quippe quae ex vera rerum intellegentia oriatur. reliquorum hominum virtutem, quae efficiatur consuetudine, contemnendam quidem non esse, sed sapienti eam non sufficere, cum homines non philosophi non intellegentia seu scientia sed *θείᾳ μοίρᾳ* honeste agant, ideoque eorum virtus certo fundamento egeat, ita ut animi perturbationibus rapiantur. perturbari quidem etiam philosophum interdum ita ut sui ipsius impotens inferioribus animae partibus habenis immissis ad iniuriam rapiatur. quamvis itaque homo ad turpiter faciendum non arbitrio aut consilio sed invitus et repentina perturbatione ducatur, tamen eum *οὐ παντάπασιν* esse *ἀκούσιον ἀλλ' εἰκόνα ἀκουσίου*, cum agat *ἐξ ἀπροβουλίας*. commissa vero iniuria animum sui conscium atque potentem aegre ferre et poenitentia opprimi, quod turpiter fecerit. Legg. IX, 866 *E*: *μεταμέλεια εὐθὺς τοῦ πεπραγμένου γίγνεται.* quam poenitentiam testimonium esse, hominem, non quia eum defecisset scientia, sed repentina perturbatione raptum peccasse. permultum enim interesse, utrum repentino aliquo animi motu an consulto et cogitate fiat iniuria. namque illam tantum esse sanabilem. cf. Phaed. 113 *E*. at vero si animus non perturbatione repentina ad tempus regnum amiserit, sed loco *τοῦ λογιστικοῦ*, quod deus ut daemonem unicuique dederit et in summa corporis arce habitare fecerit (cf. Tim. 90 *A*), alia animae pars lege tyrannica homini

imperet, animam fore plenam conturbationis et poenitentiae. *ἡ τυραννουμένη ψυχὴ*, inquit Plato Rp. IX, 577 *E*, *ὑπὸ δὲ οἴστρου ἀεὶ ἑλκομένη βίᾳ ταραχῆς καὶ μεταμελείας μεστὴ ἔσται.* cf. Legg. 327 *E*. omnium autem miserrimum esse eum hominem, qui tyrannicum inferiorum animae partium imperium non sentiat, seu quem turpiter factorum non poeniteat. Gorg. 471 *B*: *καὶ ταῦτα* (scelera) *ἀδικήσας ἔλαθεν ἑαυτὸν ἀθλιώτατος γενόμενος καὶ οὐ μετεμέλησεν αὐτῷ.* in eo enim veram scientiam vel idearum memoriam plane esse nullam. at nullius facinoris in omni vita sibi conscium esse, recte haberi pro perpetua spe dulci et optima senectutis nutrice. cf. Rp. I, 331 *A*; VI, 496 *E*.

Cum igitur ex Platonis doctrina virtus ita existat, ut homo idearum reminiscens eas sequatur, is autem qui perturbatione ductus de hac via declinaverit, crucietur poenitentia, ille qui poenitentiae dolores non sentiat, ad virtutem omnino non sit aptus, sed qui ideas semper sequatur laetitia fruatur permagna: perspicuum est conscientiae vim et potestatem Platoni non fuisse ignotam.

Aristotelis philosophiam adgredientes, doctrinam eius de anima, quae maximi momenti per se est, ut cognoscamus eo magis adducimur, quod philosophi medii aevi in illa doctrina innituntur, ubi conscientiam tractant. animae definitio legitur de anim. II, 1: *ψυχή ἐστιν ἐντελέχεια ἡ πρώτη σώματος φυσικοῦ δυνάμει ζωὴν ἔχοντος.* ut ex Aristotelis doctrina in universa natura ab infimo gradu ad altiorem et summum ascensus animadvertitur (de partib. animal. IV, 5: *ἡ γὰρ φύσις μεταβαίνει συνεχῶς ἀπὸ τῶν ἀψύχων εἰς τὰ ζῷα διὰ τῶν ζώντων*

μὲν οὐκ ὄντων δὲ ζῴων οὕτως ὥστε δοκεῖν πάμπαν μικρὸν διαφέρειν θατέρου θάτερον τῷ σύνεγγυς ἀλλήλοις), sic gradatim altiores fiunt animantes, quorum genus infimum animam habet vegetantem (*ψυχὴν θρεπτικήν*), genus altioris gradus animam sentientem (*ψυχὴν αἰσθητικήν*), et genus summum anima cogitanti (*ψυχῇ διανοητικῇ*) ornatum est. novum autem quod summo in gradu ad inferiores animae gradus accedit, est *νοῦς*. cum autem Aristoteles ut omni in philosophia sic etiam in doctrina de intellectu duo ponat principia, patiens et agens, agens describit his verbis, de anim. III, 5: *ἐπεὶ δὲ ὥσπερ ἐν ἁπάσῃ τῇ φύσει ἐστί τι τὸ μὲν ὕλη ἑκάστῳ γένει (τοῦτο δὲ ὃ πάντα δυνάμει ἐκεῖνα), ἕτερον δὲ τὸ αἴτιον καὶ ποιητικόν, τῷ ποιεῖν πάντα, ... ἀνάγκη καὶ ἐν τῇ ψυχῇ ὑπάρχειν ταύτας τὰς διαφοράς· καὶ ἐστὶν ὁ μὲν τοιοῦτος νοῦς τῷ πάντα γίνεσθαι, ὁ δὲ τῷ πάντα ποιεῖν, ὡς ἕξις τις, οἷον τὸ φῶς· τρόπον γάρ τινα καὶ τὸ φῶς ποιεῖ τὰ δυνάμει ὄντα χρώματα ἐνεργείᾳ χρώματα, καὶ οὗτος ὁ νοῦς χωριστὸς καὶ ἀπαθὴς καὶ ἀμιγὴς τῇ οὐσίᾳ ὢν ἐνεργείᾳ.* similitudinem lucis qua Aristoteles utitur ut intellectum agentem definiat, Trendelenburg in commentar. ad Ar. de anima libros p. 489 ita explicat: „sicut colores lumen exspectant, ut appareant, id est ut colorum vice vere fungantur: ita sensuum notitiae et quidquid ad intellectum patientem pertinet, mentem agentem requirunt, ut omnes veritatis numeros habeant et verae notionis vim consequantur. suscitat vitam lumen a nemine nisi a se ipso suscitatum. ita ipsum patiendi expers in terrestrem rerum naturam infinita vi utitur. eiusmodi est intellectus agens ut ipse nulla re indigens re-

liquis notionibus veritatis sit testis et auctor." quamvis illa Aristotelis verba non omnes de intellectus natura dubitationes tollant, tamen „negari non potest, esse aliquid, ex quo intellectus agens divina mens esse videatur" (Trendelenb. l. l. p. 492). itaque *ὁ νοῦς* extrinsecus in hominem intret necesse est; de generat. animal. II, 3: *λείπεται δὲ τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι καὶ θεῖον εἶναι μόνον*; Eth. Nic. X, 7: *θεῖον ὁ νοῦς πρὸς τὸν ἄνθρωπον.* hic vero *νοῦς* in primis et ultimis scientiae principiis occupatus est, quorum nulla est demonstratio. cf. Trendelb. l. c. p. 494; Eth. Nic. VI, 6: *λείπεται νοῦν εἶναι τῶν ἀρχῶν.* distinguuntur autem ab Aristotele *νοῦς θεωρητικός* et *νοῦς πρακτικός. ὁ θεωρητικὸς νοῦς* solis in contemplationibus versatur, *ὁ πρακτικὸς νοῦς* impellit ad actionem. actio autem est motio ad certum aliquem finem. finis actionis est *τὸ ὀρεκτόν*, id est *τὸ ἀγαθὸν ἢ τὸ φαινόμενον ἀγαθόν, οὐ πᾶν δέ, ἀλλὰ τὸ πρακτικὸν ἀγαθόν*, de anim. III, 10: *τὸ ὀρεκτόν* semper movet et non movetur (*τοῦτο γὰρ κινεῖ οὐ κινούμενον*, l. l.), illa animae pars quae nominatur *τὸ ὀρεκτικόν*, movetur *τοῦ ὀρεκτοῦ* seu *τοῦ ἀγαθοῦ* appetens. at non solum movetur *τὸ ὀρεκτικόν* sed movet etiam animal ad finem (*τὸ δὲ κινοῦν καὶ κινούμενον τὸ ὀρεκτικόν*). animal movetur tantum (*τὸ δὲ κινούμενον τὸ ζῷον*). *τὸ ὀρεκτόν* est *τὸ ἀγαθόν* aut *τὸ φαινόμενον ἀγαθόν*, qua de causa movet *τῷ νοηθῆναι ἢ φαντασθῆναι* prout *τὸ ἀγαθόν* ab intellectu cognoscitur aut a cupidine (*ὑπ᾽ ἐπιθυμίας*) appetitur. intellectus semper cognoscit bonum verum (*νοῦς οὖν πᾶς ὀρθός*, de an. III, 10) et praecipit *τῷ ὀρεκτικῷ* ut id appetat. *ὁ νοῦς* vero de fine agendi consultans nominatur *πρακτι-*

κός (νοῦς δὲ ὁ ἕνεκά του λογιζόμενος καὶ ὁ πρακτικός, de anim. III, 10). *νοῦς* ab Aristotele plerumque vocatur *ὁ λόγος.* sed quamvis *ὁ λόγος* ita etiam *τὸ ἐπιστημονικόν* complectatur (Eth. Nic. VI, 2), tamen maxime usurpatur cum Aristoteles *τοῦ νοῦ* effectus ad vitam honestam instituendam exprimere vult, quamobrem *ὁ λόγος* et *ὁ νοῦς πρακτικός* fere sunt idem. propterea Aristoteles docet, homines a reliquis animalibus differre eo, quod habeant *λόγον.* Polit. I, 2: *λόγον δὲ μόνον ἄνθρωπος ἔχει τῶν ζῴων ... ὁ δὲ λόγος ἐπὶ τῷ δηλοῦν ἐστὶ τὸ συμφέρον καὶ τὸ βλαβερόν, ὥστε καὶ τὸ δίκαιον καὶ τὸ ἄδικον. τοῦτο γὰρ πρὸς τἆλλα ζῷα τοῖς ἀνθρώποις ἴδιον, τὸ μόνον ἀγαθοῦ καὶ κακοῦ καὶ δικαίου καὶ ἀδίκου καὶ τῶν ἄλλων αἴσθησιν ἔχειν.* in reliquis animalibus *τὸ ὀρεκτικόν* appetit *ἀγαθόν* quod *φαντασία* ei proponit (de anim. III, 10), in hominibus autem *ὁ νοῦς,* qui est etiam *ὁ λόγος, ἡ νόησις, ἡ δίανοια* vel *ὁ λογισμός,* praescribit bonum quod *τὸ ὀρεκτικόν* appetat. intellectus enim praecepto cupidinem ut paedagogi puerum obedire oportet. Eth. Nic. III, 15: *ὥσπερ γὰρ τὸν παῖδα δεῖ κατὰ τὸ πρόσταγμα τοῦ παιδαγωγοῦ ζῆν, οὕτω καὶ τὸ ἐπιθυμητικὸν κατὰ τὸν λόγον,* qui intellectui obtemperant, honesti sunt. de an. III, 9: *οἱ γὰρ ἐγκρατεῖς ... ἀκολουθοῦσι τῷ νῷ,* atque ii soli verum bonum videre possunt, alii iucundum, quod bonum esse videtur, pro vero bono habent et eligunt. cf. Eth. Nic. III, 6: ... *ὁ σπουδαῖος τῷ ἀληθὲς ἐν ἑκάστοις ὁρᾶν, ὥσπερ κανὼν καὶ μέτρον ... ὤν. τοῖς πολλοῖς δὲ ἀπάτη διὰ τὴν ἡδονὴν ἔοικε γίνεσθαι. οὐ γὰρ οὖσα ἀγαθὸν φαίνεται. αἱροῦνται οὖν τὸ ἡδὺ ὡς ἀγαθόν, τὴν δὲ λύπην ὡς κακὸν φεύγουσι.* cum autem utraque animae

pars, *τὸ λογιστικόν* et *τὸ ἐπιθυμητικόν*, *τῆς ὀρέξεως* particeps sit atque ea de caussa appetat quod ipsi bonum videtur (*ὁ μὲν γὰρ νοῦς διὰ τὸ μέλλον ἀνθέλκειν κελεύει, ἡ δὲ ἐπιθυμία διὰ τὸ ἤδη*, de an. III, 10), homo in utramque partem trahitur. l. l.: *ἐπεὶ δ᾽ ὀρέξεις γίνονται ἐναντίαι ἀλλήλαις, τοῦτο δὲ συμβαίνει ὅταν ὁ λόγος καὶ ἡ ἐπιθυμία ἐναντίαι ὦσιν*, ... Cum igitur in honesti hominis anima *ὁ λόγος* regnet ut hominis naturae consentaneum est, factorum suorum recordationes iucundae sunt. Eth. Nic. IX, 4: *τῶν τε γὰρ πεπραγμένων* (*τῷ σπουδαίῳ*) *ἐπιτερπεῖς αἱ μνῆμαι, καὶ τῶν μελλόντων ἐλπίδες ἀγαθαί.* in reliquorum vero hominum animis oriuntur prorsus alia. l. l.: *στασιάζει γὰρ αὐτῶν ἡ ψυχή, καὶ τὸ μὲν διὰ μοχθηρίαν ἀλγεῖ ἀπεχόμενον τινῶν, τὸ δ᾽ ἥδεται, καὶ τὸ μὲν δεῦρο τὸ δ᾽ ἐκεῖσε ἕλκει ὥσπερ διασπῶντα*, et eodem in capite: *διαφέρονται γὰρ ἑαυτοῖς, καὶ ἑτέρων μὲν ἐπιθυμοῦσιν, ἄλλα δὲ βούλονται.* si *ὁ λόγος* ab inferiore animae parte victus est, existit poenitentia, l. l.: *μεταμελείας γὰρ οἱ φαῦλοι γέμουσιν.* eiusmodi homines amicos et socios quaerunt, ut in colloquiis et sermonibus cogitationes suas molestas repellant. l. l.: *ζητοῦσί τε οἱ μοχθηροὶ μεθ᾽ ὧν συνδιημερεύσουσιν, ἑαυτοὺς δὲ φεύγουσι ἀναμιμνήσκονται γὰρ πολλῶν καὶ δυσχερῶν, καὶ τοιαῦθ᾽ ἕτερα ἐλπίζουσι, καθ᾽ ἑαυτοὺς ὄντες, μεθ᾽ ἑτέρων δ᾽ ὄντες ἐπιλανθάνονται.* memoria scelerum nonnullos eo agit ut sibi ipsi mortem adsciscant. l. l.: *οἷς δὲ πολλὰ καὶ δεινὰ πέπρακται διὰ τὴν μοχθηρίαν, μισοῦσί τε καὶ φεύγουσι τὸ ζῆν καὶ ἀναιροῦσιν ἑαυτούς.* haec omnia docent Aristotelem optime scivisse, hominem si rationi obtemperet recordationis laetitiam percipere, sin minus,

2*

eum principia aeterna sibi insita atque innata contemnere non impunitum neque cupidinem sequi inultum, sed sibi ipsum poenam esse gravissimam.

Non possunt hic omitti nonnulla quae inter scriptorum illius temporis reliquias traduntur et cum quaestione de conscientia cohaerent. fragmenta dico comicorum Graecorum, quorum unum Antiphani adscriptum (Meineke, fragm. comic. graec. III, 149) hoc est: *τὸ μὴ συνειδέναι γὰρ αὑτοῦ τῷ βίῳ ἀδίκημα μηδὲν ἡδονὴν πολλὴν ἔχει.* quamvis hoc fragmentum sicut aliud Antiphanis, quod loc. cit. invenies, non proditum sit nisi a Stobaeo in florilegio (24, 7 et 27, 5), qui liber spuria continet non pauca (quam rem Gruppe libro suo „Fragmente des Archytas und der übrigen Pythagoräer" probavit), tamen, cum fines quos Platonis, Xenophontis, aliorum illius temporis scripta constituunt, non excedant, nihil impedit, quominus saltem isti aetati tribuamus. superiori loco clarior est is qui Meinekii coniectura (Menandr. et Philem. reliqu., praef. p. VIII) Philemoni, a Maximo (*Κεφάλ. θεολογικά* LXXIX, p. 137, 50) Philistioni cuidam, et a Stobaeo (Florileg. 24, 1) Diphilo tribuitur:

ὅστις γὰρ αὐτὸς αὑτὸν οὐκ αἰσχύνεται
συνειδόθ᾽ αὑτῷ φαῦλα διαπεπραγμένῳ,
πῶς τόν γε μηδὲν εἰδότ᾽ αἰσχυνθήσεται;

dicta autem quae sequuntur illos fines iam excedunt, ut illud Menandro adscriptum (Meineke, fragm. com. gr. IV, p. 257):

ὁ συνιστορῶν αὑτῷ τι κἂν ᾖ θρασύτατος,
ἡ σύνεσις αὐτὸν δειλότατον εἶναι ποιεῖ.

cf. l. l. p. 198. 292. cum enim *ἡ σύνεσις* notionem conscientiae non significet, ut videbimus infra, haec dicta illius aetatis non sunt.

Sententiarum collectio quae sub Menandri nomine circumfertur vel *γνῶμαι μονόστιχοι* (Meineke l. l. p. 340—362) de conscientia continent haec

v. 597: *ἅπασιν ἡμῖν ἡ συνείδησις θεός.*

v. 654: *βροτοῖς ἅπασιν ἡ συνείδησις θεός.*

hac cum in gnomarum collectione inveniantur multa quae nec Menandro nec alii illius temporis poetae tribuenda esse dicit Meineke (Men. et Phil. reliqu. praef. p. XI), atque cum istae duae sententiae contineant cogitationem quae Stoicorum recentiorum aetatis demum propria est, inter haec „multa“ eas esse numerandas apparet. eadem est ratio, ut res hic absolvatur, illorum quae apud Stobaeum Floril. 24, 11 et 24, 12 Bianti et Periandro (al. Menandro) adscribuntur: *Βίας ἐρωτηθεὶς τί ἂν εἴη τῶν κατὰ τὸν βίον ἄφοβον, εἶπεν· ὀρθὴ συνείδησις;* et: *Περίανδρος* (al. *Μένανδρος*) *ἐρωτηθεὶς τί ἐστιν ἐλευθερία, εἶπεν, ἀγαθὴ συνείδησις.*

Jam Stoicorum doctrina ea est, ut si quis eorum ethicam cognoscere velit, physicam praetermittere non possit. duo omnium rerum principia esse docent, agens et patiens. Diog. L. VII, 134: *δοκεῖ δ' αὐτοῖς ἀρχὰς εἶναι τῶν ὅλων δύο, τὸ ποιοῦν καὶ τὸ πάσχον. τὸ μὲν οὖν πάσχον εἶναι τὴν ἄποιον οὐσίαν, τὴν ὕλην, τὸ δὲ ποιοῦν τὸν ἐν αὐτῇ λόγον, τὸν θεόν.* ex amborum coniunctione unum, videlicet mundum, evenire, in quo *τὸ ποιοῦν* vel *ὁ λόγος* habitet ut *ἡγεμονικόν*. M. Ant. VII, 75; IX, 22; VI, 36. hoc idem esse quod deum.

Senec. epist. 65: „ratio faciens id est deus.“ itaque deus quasi potior pars mundi nominatur mundus, et mundus deus. Senec. Quaest. natur. II, 45: „vis illum (sc. deum) vocare mundum? non falleris.“ (alia huius doctrinae testimonia affert Villoisonius in commentatione: theologia physica Stoicorum, quae Cornuti de nat. deorum libro ab Osanno edito affixa est, p. 405 seq.). a notione mundi cum apud Stoicos notio naturae non multum absit, nomina *θεός* et mundus et *φύσις* vel natura inter se mutantur. Senec. quaest. n. II, 45: „vis illum naturam vocare? non peccabis.“ cf. de benef. IV, 8; Sext. Emp. Mathem. IX, p. 578: *φύσις ἡ αὐτή ἐστι θεῷ.* quamquam autem Stoici mundum et naturam appellarunt deum, tamen hac voce maxime principium in rebus agens vel *τὸ ἡγεμονικόν* significarunt. Cicero de nat. d. I, 14: „Cleanthes ... tum ipsum mundum deum dicit esse, tum totius naturae menti atque animo tribuit hoc nomen ...“ l. c. 15: „ait enim (Chrysippus) vim divinam in ratione esse positam et universae naturae animo atque mente; ipsumque mundum deum dicit esse et eius animi fusionem universam; tum eius ipsius principatum qui in mente et ratione versetur communemque rerum naturam universam atque omnia continentem, tum fatalem vim et necessitatem rerum futurarum ...“ appellatur deus *κόσμου ψυχή* (Cornut. de n. d. 2), *νοῦς κόσμου πύρινος* (Zeno apud Stob. Ecl. phys. 2), mens universi (Senec. quaest. nat. praef. 1), *ἡ τοῦ ὅλου διάνοια* (M. Ant. IX, 28), *ὁ τῆς κοινῆς φύσεως λόγος* (ib. IV, 29). cf. Cic. de nat. deor. I, 15; de legg. I, 4: „legem ... esse ... aeternum quiddam, quod universum mundum regeret, imperandi prohibendique

sapientia. ita principem legem illam et ultimam mentem esse dicebant omnia ratione aut cogentis aut vetantis dei." huius legis necessitas quae interrumpi aut mutari nequit, significatur vocabulo *εἱμαρμένης* vel fati. *ἡ εἱμαρμένη*, quae omnes naturae leges comprehendit, modo deus vocatur modo dei sententia (cf. Sen. qu. nat. II, 45) vel *πρόνοια*. Plut. de St. rep. V. p. 279 (ed. Wyttenb.): *ὅτι δ' ἡ κοινὴ φύσις καὶ ὁ κοινὸς τῆς φύσεως λόγος εἱμαρμένη καὶ πρόνοια καὶ Ζεύς ἐστι, οὐδὲ τοὺς ἀντίποδας λέληθε.* Diog. Laert. VII, 135: *ἕν τε εἶναι θεὸν καὶ νοῦν καὶ εἱμαρμένην καὶ Δία πολλαῖς τε ἑτέραις ὀνομασίαις προσονομάζεσθαι.* ex variis numinis divini nominibus Stoicorum doctrina elucet, deum esse principium aeternum, quod omnem naturam penetret contineat legibusque immutabilibus regat atque moderetur.

Hac cum Stoicorum de deo doctrina artissime coniuncta est eorum sententia de animae humanae natura. docent enim eam esse numinis divini partem. Cic. Tusc. V, 13: „humanus autem animus decerptus ex mente divina . . ." Sen. ep. 66: „ratio autem nihil aliud est quam in corpus humanum pars divini spiritus mersa." Epict. diss. I, 14: *αἱ ψυχαὶ οὕτως εἰσὶν ἐνδεδεμέναι καὶ συναφεῖς τῷ θεῷ ἅτε αὐτοῦ μόρια οὖσαι καὶ ἀποσπάσματα.* animi humani cum corpore necessitudo eadem est quae inter deum et mundum. nam et *τὸ παθητικόν* et *τὸ ἄλογον* ab animo non secernitur. nominatur etiam animus *τὸ ἡγεμονικόν*. Plut. de virt. mor. 3: *νομίζουσι οὐκ εἶναι τὸ παθητικὸν καὶ ἄλογον διαφορᾷ τινι καὶ φύσει ψυχῆς τοῦ λογικοῦ διακεκριμένον, ἀλλὰ τὸ αὐτὸ τῆς ψυχῆς μέρος, ὃ δὴ καλοῦσι διάνοιαν καὶ ἡγεμονι-*

κόν. dicunt enim Stoici animam esse unam atque non raro eam nominant *τὸ ἡγεμονικόν* (cf. Heinze, de Stoicorum affectib. doctrina, p. 8). ex quo nomine munus eius satis elucet. aliud animi nomen quod est *ὁ δαίμων* ad eius naturam magis et necessitudinem cum deo respicit. hac voce usos esse iam vetustiores Stoicos testis est Diog. Laert. VII, 88: *εἶναι δ' αὐτὸ τοῦτο τὴν τοῦ εὐδαίμονος ἀρετὴν καὶ εὔροιαν βίου, ὅταν πάντα πράττηται κατὰ τὴν συμφωνίαν τοῦ παρ' ἑκάστῳ δαίμονος πρὸς τὴν τοῦ ὅλου διοικητοῦ βούλησιν.* debere autem eam videntur Heraclito (cf. fragm. 57 [Alex. Aphrod. de fato. 6] p. 16, Orelli; Plut. quaestt. platon. I, 13). Plato *τὸ λογιστικόν* nominat *δαίμονα.* Tim. 90 *A*: *περὶ τοῦ κυριωτάτου παρ' ἡμῖν ψυχῆς εἴδους διανοεῖσθαι δεῖ τῇδε, ὡς ἄρα αὐτὸ δαίμονα θεὸς ἑκάστῳ δέδωκε.* alios de daemone hominis locos profert Krische l. l. p. 320. attamen Stoici veteres sentientes, unam tantum esse vim omnia animantem atque moventem, cuius pars (*ἀπόσπασμα*) esset animus noster, illo vocabulo rarius usi esse videntur. eo saepius Stoici recentiores inde a Posidonio, qui Academicorum de anima sententiam fecerat suam et ut inter Stoicos paulatim reciperetur auctor fuerat (Zeller l. l. III, 350 seq.), de daemone vel de daemonibus loquuntur. Galenus de placit. Hipp. et Plat. I, 5, p. 291 (Posidonii Rhodii rell. coll. Bake, ed. Wyttenbach p. 223): *τὸ δὴ τῶν παθῶν αἴτιον τουτέστι, τῆς τε ἀνομολογίας καὶ τοῦ κακοδαίμονος βίου, τὸ μὴ κατὰ πᾶν ἕπεσθαι τῷ ἐν αὐτῷ δαίμονι συγγενεῖ τε ὄντι καὶ τὴν ὁμοίαν φύσιν ἔχοντι τῷ τὸν ὅλον κόσμον διοικοῦντι, τῷ δὲ χείρονι καὶ ζῳώδει συνεκκλίνοντας φέρεσθαι.* aliorum Stoicorum doctrinam habes apud

Senecam ep. 110: „sepone in praesentia, quae quibusdam placent, unicuique nostrum paedagogum dari deum, non quidem ordinarium sed hunc inferioris notae ex eorum numero quos Ovidius ait de plebe deos. ita tamen hoc seponas volo, ut memineris maiores nostros, qui crediderunt, Stoicos fuisse." ep. 41: „prope est a te deus, tecum est, intus est." Epict. diss. II, 9: *οὐκ οἶδας, ὅτι θεὸν τρέφεις ... θεὸν περιφέρεις τάλας καὶ ἀγνοεῖς ... ἐν σεαυτῷ φέρεις αὐτόν.* quid sit iste deus in nobis sive daemon recte definit Zeller l. l. III, 113 hisce: die geistige Persönlichkeit des Menschen selbst, nach der Seite ihrer Gottverwandtschaft betrachtet. cum autem in Stoicorum praecipue posteriorum doctrina fere omnis animi vis atque potestas ad bonam vitam instituendam applicetur, daemon ille vel deus internus hoc maxime agit ut hominem ducat et custodiat. Sen. ep. 41: „ita dico, Lucili, sacer intra nos spiritus sedet, malorum bonorumque nostrorum observator et custos." Epict. l. I, 14: ... *ἐπίτροπον ἑκάστῳ παρέστησε τὸν ἑκάστου δαίμονα καὶ παρέδωκε φυλάσσειν αὐτὸν αὐτῷ ... τίνι γὰρ ἄλλῳ κρείττονι καὶ ἐπιμελεστέρῳ φύλακι παραδέδωκε ἡμῶν ἕκαστον; ὥσθ᾽ ὅταν κλείσητε τὰς θύρας καὶ σκότος ἔνδον ποιήσητε, μέμνησθε μηδέποτε λέγειν ὅτι μόνοι ἐστέ.* Manual. 38 (60): *ἐν τῷ περιπατεῖν καθάπερ προσέχεις μὴ ἐπιβῇς ἥλῳ ἢ στρέψῃς τὸν πόδα, οὕτω πρόσεχε μὴ καὶ τὸ ἡγεμονικὸν βλάψῃς τὸ σαυτοῦ.* Ant. V, 27: *συζῇ δὲ θεοῖς ὁ συνεχῶς δεικνὺς αὐτοῖς τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν ἀρεσκομένην μὲν ἀπονεμομένοις, ποιοῦσαν δὲ ὅσα βούλεται ὁ δαίμων, ὃν ἑκάστῳ προστάτην καὶ ἡγεμόνα ὁ Ζεὺς ἔδωκεν ἀπόσπασμα ἑαυτοῦ· οὗτος δέ ἐστι ὁ ἑκάστου νοῦς καὶ λόγος.* cum ὁ

λόγος in anima hominis pars sit numinis divini, ita ut homo si rationem respicias non inferior sit quam dii (Epict. diss. I, 12: *ὁ ἄνθρωπος κατὰ τὸν λόγον οὐδὲ χείρων τῶν θεῶν οὐδὲ μικρότερός ἐστι*), *τοῦ λόγου* praeceptum semper est rectum quoad servatur ab affectibus et animi motibus, qui sunt aversae a recta ratione contra naturam commotiones (Cic. Tusc. IV, 6). affectus igitur vel *τὰ πάθη* reiciendi sunt (Ant. II, 13). retinentur autem, si anima visorum (*φαντασιῶν*) multitudine non perturbatur (Ant. III, 16). qui id efficit, is est sapiens. itaque sapiens solus virtute praeditus est, cum in reliquis hominibus falsis opinionibus excitentur affectus, affectibus vero anima perturbetur eiusque habitus naturae conveniens vel sanitas amittatur. itaque cum homo bono animi habitu praeditus falsas opiniones reicere ideoque sapiens esse atque cum sapiens solus vera rerum cognitione imbutus falsa phantasmata discernere et reicere animaeque sanitatem servare possit: Stoicorum doctrina ea esse videtur ut prohibeamur, quin cum Zellero (l. l. III, 138) scientiam esse et priorem quam actionem et actionis conditionem necessariam putemus. utut vero est, patet sapientem solum esse bonum, quoniam apud eum tantum daemon statum naturalem servaverit, ita ut homo, si eum sequatur, finem a natura sibi propositum consequatur naturaeque convenienter vivat. illud enim *ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν*, quae est vulgaris Stoicorum notio virtutis, ad eundem perducit finem quo Pythagoreorum *ἕπου θεῷ*. sententiae autem *τῇ φύσει ὁμολογουμένως ζῆν* et *κατὰ τὴν φύσιν* vel *κατὰ τὸν λόγον ζῆν* apud Stoicos idem valent, cum *φύσις* et *λόγος* semper congruant. magni igitur

in Stoicorum doctrina momenti est, quid sit naturae proprium. hac de re autem edocemur iis, quae ex Chrysippo profert Diog. Laert. VII, 85: *ὁρμὴ ἡ πρώτη τοῖς ζῴοις σύνεστιν ἐπὶ τῷ τηρεῖν ἑαυτά, οἰκειούσης αὐτοῖς τῆς φύσεως ἀπ' ἀρχῆς. πρῶτον γὰρ οἰκεῖον παντὶ ζῴῳ ἡ σύστασις καὶ ἡ ταύτης συνείδησις, καὶ οἰκείως ἔχειν πρὸς ἑαυτό· διὸ τὰ βλάπτοντα διωθεῖται τὰ δὲ οἰκεῖα προσίεται.* omne igitur animal impetu primo movetur, ut se ipsum tueatur suaque propria conservet. inter propria autem primo loco numeratur *ἡ σύστασις καὶ ἡ ταύτης συνείδησις. ἡ σύστασις* est omnium uniuscuiusque animantis partium compositio, ita ut unum quiddam ex iis fiat, quod est *σῶμα ἡνωμένον.* huius vero generis sunt non solum animantia sed etiam res animae expertes, ut lapides, ligna, quae *ὑπὸ ψιλῆς ἕξεως,* et illae quae ut plantae *ὑπὸ φύσεως* continentur. Sext. Emp. adv. Mathem. IX, § 78, ed. Fabr.: *τῶν σωμάτων τὰ μέν ἐστι ἡνωμένα . . . ἡνωμένα μὲν οὖν ἐστι τὰ ὑπὸ μιᾶς ἕξεως κρατούμενα καθάπερ φυτὰ καὶ ζῷα.* cf. IX, 81. in animalibus autem ad *σύστασιν* accedit *η ταύτης συνείδησις,* quae nihil aliud esse potest nisi huius compositionis scientia, qua animal se ipsum ut unum comprehendit vel sui ipsius conscium fit. *ἡ συνείδησις* igitur primus est animae actus, quo differt animal ab aliis corporibus (*σώμασι*), quae non ab anima (*ὑπὸ ψυχῆς*) continentur. cf. Sext. Empir. l. l., Petersen, philos. Chrys. fundam. p. 60. itaque *ἡ συνείδησις* omnibus animalibus est tribuenda. hac ex sui ipsius conscientia consectarium est, unumquodque animal omnia petere quae prodesse, quae vero obesse videantur, fugere. Cic. de off. I, 4: „principio generi animantium

omni est a natura tributum ut se, vitam corpusque tueatur, declinetque ea quae nocitura videantur, omniaque, quae sunt ad vivendum necessaria, anquirat et paret.“ *συνειδήσεως* notio hoc loco cognata est significationi quam alios scriptores inde a Socrate verbo *συνειδέναι* tribuisse vidimus, atque vox *συνείδησις* eodem modo, quo antea a verbo *εἰδέναι εἴδησις* derivata erat (Ar. de an. I, 1), a verbo *συνειδέναι* derivata est. quae cum ita se habeant, Menagius Diogenem ex Suida male correxit. Suidas enim sub voce *ὁρμή* totum illum locum, qui apud Diogenem legitur, refert, sed loco „*ἡ ταύτης συνείδησις*“ habet „*ἡ ταύτης σύνδεσις*.“ notio *συστάσεως σύνδεσις*, si cogitari possit, ab illa Chrysippi sententia est aliena.

Hoc loco vocabulum *συνείδησις* apud philosophos primum nobis obvenit et significat sui ipsius conscientiam. quae scientia tam late patet, ut Chrysippus etiam animalibus eam tribuat. atqui eodem fere tempore, quo Chrysippus voce *συνειδήσεως* teste Diogene usus est, eadem vox invenitur plane alio loco. interpretes enim Veteris Testamenti Alexandrini Coh. 10, 20 vocabulum מַדָּע vertunt „*συνείδησις*.“ ibi enim leguntur haec: *ἐν συνειδήσει σοῦ βασιλέα μὴ καταράσῃ καὶ ἐν ταμιείοις κοιτώνων σοῦ μὴ καταράσῃ πλούσιον.* vocabulum מַדָּע, quod in recentioribus V. T. libris et raro admodum invenitur, alibi vertitur *σύνεσις* (II Chron. 1, 10. 11. 12; Dan. 1, 17), semel *φρόνησις* (Dan. 1, 4). nostro vero loco significat, ut ex iis quae praecedunt et sequuntur apparet, hominis partem interiorem ut secretum aliquid vel latens, quod nemo sciat praeter hominem ipsum, et oppositum externo vel publico, quod omnes audiunt

et sciunt. ergo cogitationes, quae opponuntur verbis publice prolatis, vel scientiam, quae est vocabuli מַדָּע significatio principalis atque naturalis, exprimit *συνείδησις*. quamquam igitur illa vox neque apud Chrysippum neque in versione Coheleth 10, 20 conscientiam moralem significat, tamen Stoicorum doctrinae magnopere consentaneum est, ad conscientiae notionem significandam iam a prioribus temporibus usurpatam esse *τὴν συνείδησιν*. cum enim hominis summum officium sit, ut naturae convenienter vivat, necesse est, ut naturam suam cognoscat, quod alia ratione effici non potest nisi sui ipsius conscientia, cuius principium a Chrysippo vocatur *συνείδησις*. itaque haec scientia regula esse debet vivendi. atque hoc modo fieri potuit ut vocabulo *συνειδήσεως* iam apud priores Stoicos exprimeretur conscientia moralis. etenim Cicero scribit ad Attic. XIII, 20: „de fama“, inquit, „nihil sane laboro, etsi scripseram ad te tunc stulte; nihil melius, curandum enim non est. atque hoc: in omni vita sua quemque a recta ***conscientia*** transversum unguem non oportet discedere. viden' quam *φιλοσόφως*? an tu nos frustra existimas haec in manibus habere?“ saepissime quidem Cicero utitur notione conscientiae, nusquam tamen hoc loco excepto ut lege quae vitam nostram regere debeat. docent autem satis verba ipsa, Ciceronem dictum usitatum tunc et notum ex libro aliquo philosophico proferre et aliquam Graecam vocem a Cicerone verti conscientiam. sententia vero, famam esse contemnendam, a conscientia autem non esse discedendum, plane est Stoicorum. ex quibus consectarium est, notionem conscientiae ut regulam et normam vivendi in illis Stoi-

corum libris, qui Ciceroni in promptu erant, certa aliqua voce expressam fuisse. atqui Polybius XVIII, 26 (ed. Bekk. p. 889) tradit haec: *οὐδεὶς γὰρ οὕτως οὔτε μάρτυς ἐστὶ φοβερὸς οὔτε κατήγορος δεινὸς ὡς ἡ σύνεσις ἡ ἐγκατοικοῦσα ταῖς ἑκάστων ψυχαῖς.* Polybius non minus quam Cicero pendet ex philosophia Stoica, ut scripta eius testantur. igitur suspicari aliquis possit, vocem *σύνεσιν* pro conscientia in usu fuisse. cum autem conscientiae notio illis Polybii verbis necessaria sit, *σύνεσις* vero hanc notionem ex ratione ipsius vocabuli non exprimat, ut suo loco videbimus, sequitur, ut vox *σύνεσις* corrigenda sit in *συνείδησιν,* cum alia vox ad significandam conscientiam non inveniatur. certum autem testimonium accedit hoc. liber Sapientiae, qui nonnullis in rebus philosophiam Stoicam sapit, 17, 10 continet haec: *δειλὸν γὰρ ἰδίως πονηρία μαρτυρεῖ καταδεκαζομένη, ἀεὶ προσειλήφει τὰ χαλεπὰ συνεχομένη τῇ συνειδήσει. οὐθὲν γάρ ἐστι φόβος, εἰ μὴ προδοσία τῶν ἀπὸ λογισμοῦ βοηθημάτων. ἔνδοθεν δὲ οὖσα ἥττων ἡ προσδοκία πλείονα λογίζεται τὴν ἄγνοιαν τῆς παρεχούσης τὴν βάσανον αἰτίας.* auctor libri describit hic statum hominis qui peccavit et qui scelerum suorum sibi conscius in poenae metu semper versatur. animi autem conditio, qua iste homo tenetur, est *ἡ συνείδησις.* ex his omnibus consectarium est, iam Stoicos priores conscientiae notionem et cognovisse et vocabulo *συνειδήσεως* expressisse.

Stoici docent omne factum sui ipsius pretium ac praemium secum ferre nulla ratione habita eorum, quae cum facto cohaereant aut sequantur. Diog. L. VII, 127: *ἀρέσκει δὲ αὐτοῖς μηδὲν μέσον εἶναι ἀρετῆς καὶ κακίας.*

quae sententia apud posteriores Stoicos plerumque in eam immutata est, factum ipsum pluris esse habendum quam omnia quae cum eo cohaereant; id quod cum eorum doctrina de eo quod est *κατόρθωμα* et *καθῆκον* consentit. his consentaneum est, conscientiam, quae facta ita continet ut semper praesto sint, factorum mercedem esse aut solam (Sen. Benef. IV, 11) aut summam (l. l. II, 32), atque eandem rationem esse in turpiter factis, quorum conscientia poena est gravissima (Sen. Ep. 27). quo fit ut conscientia, prout sententia fert, modo ut summa merces modo ut gravissima poena descripta sit.

Conscientiae notionem iam tractantes quae in Senecae scriptis invenitur, primum, quamquam non omnes loci accurate inter se distingui possunt, proferamus locos ubi conscientia notatur ut memoria factorum. Benef. IV, 11: „sola, inquit Seneca, merces beneficiorum, quae sine ulla spe receptionis alicuius dantur, est sterilis beneficii *conscientia*." Ep. 12: „*conscientia* mala turpiter factorum, bona bene factorum est memoria." Benef. II, 32 Seneca de tribus loquitur fructuum generibus qui ex omni facto percipiantur et quorum primus sit conscientia. Clem. I, 1 Neroni scribit: „quamvis enim, inquit, recte factorum verus fructus sit fecisse nec ullum virtutum pretium dignum illis extra ipsas sit, iuvat inspicere et circumire bonam *conscientiam*." in locis qui sequuntur conscientia magis animi habitus esse videtur. Dial. VII, 20: „nihil", inquit Seneca, „opinionis causa, omnia *conscientiae* faciam." Clem. I, 13 *conscientia* plena dicitur sceleribus et tormentis. Benef. VII, 1 legimus: „*conscientiam* suam dis aperire ..."

Fragm. 24 (ed. Haase): „nihil prodest inclusam esse *conscientiam,* patemus deo.“ Ep. 122: „gravis malae *conscientiae* lux est.“ cf. Dial. IX, 3; Benef. III, 1; IV, 21; Ep. 97; Clem. I, 15. describitur denique apud Senecam *conscientiae* magna vis atque potestas. Clem. I, 9 legimus hoc: „ex *conscientia* (culpae) tacens.“ Ep. 97: „prima illa et maxima peccantium poena est peccasse, nec ullum scelus impunitum est, quoniam sceleris in scelere est supplicium.“ eadem epistola flagellari dicit Seneca mala facinora conscientia, itaque eodem modo, quo alibi describitur daemon sive deus in nobis, conscientia designatur quasi persona interior. Fragm. 14 nominatur custos perpetuus; deinde legimus: „quid tibi prodest non habere conscium habenti *conscientiam?*“ Ep. 43: „bona *conscientia* turbam advocat, mala etiam in solitudine anxia atque sollicita est ... si turpia facis, quid refert neminem scire, cum tu scias? o te miserum, si contemnis hunc testem!“ cf. Benef. IV, 21. Ep. 105: „*conscientia* aliud agere non patitur ac subinde respondere ad se cogit.“ qui locus omnium, ubi conscientia commemoratur, gravissimus est. nam clare hic elucet Senecae sententia, hominem a conscientia duci, de factis ut reddat rationem cogi, eundemque ab illa iudicari. ex his omnibus patet conscientiam apud Senecam significare primum hominis scientiam factorum suorum, deinde animi conditionem quandam, denique vim moralem homini insitam quae eum regat et iudicet, qua significatione cum hominis daemone sive deo interno congruit.

Epicteti Stoici philosophi subsequentis neque in dissertationibus ab Arriano traditis neque in manuali certa

vox ad notandam conscientiam reperitur, sententiae autem huc spectantes leguntur non raro, velut Diss. III, 24: *οὐκ οἶσθα ὅτι ἀνὴρ κακὸς καὶ ἀγαθὸς οὐδὲν ποιεῖ τοῦ δόξαι ἕνεκα ἀλλὰ τοῦ πεπρᾶχθαι καλῶς;* uno tantum loco insigniter Epictetus hac notione utitur. Fragm. 97 (ed. Schweigh.): *παῖδας μὲν*, inquit, *ὄντας ἡμᾶς οἱ γονεῖς παιδαγωγῷ παρέδοσαν ἐπιβλέποντι πανταχοῦ πρὸς τὸ μὴ βλάπτεσθαι· ἄνδρας δὲ γενομένους ὁ θεὸς παραδίδωσι τῇ ἐμφύτῳ συνειδήσει φυλάττειν. ταύτης οὖν τῆς φυλακῆς μηδαμῶς καταφρονητέον· ἐπεὶ καὶ τῷ θεῷ ἀπάρεστοι καὶ τῷ ἰδίῳ συνειδότι ἐχθροὶ ἐσόμεθα.* paedagogi est puerum ducere et custodire ne a recta via aberret et, si aberraverit, admonitionibus castigationibusque eum reducere: quae munera iam a Seneca conscientiae tribuuntur. illud vero notandum est, quod *τὸ ἴδιον συνειδὸς* hic cum deo coniungitur ita ut, si illi displiceamus, inimici fiamus conscientiae. quod cum Stoicorum doctrina, daemonem in nobis *ἀπόσπασμα* esse dei universum penetrantis optime convenit. itaque cum haec sententia aptum inter testimonia locum teneat et Senecae de conscientia dicta admodum explanare videatur, sine ullo scrupulo illud fragmentum Epicteto tribuimus, quamvis locus ubi traditum est, dubitationem excitare possit. nam illam sententiam Antonius Melissa, monachus Byzantinus octavi vel duodecimi saeculi (cf. Schöll, Geschichte der griech. Litt., übersetzt von Pinder, III, 415) inter multas alias sententias prodit, quas in libro, cuius ratio et fides cum Stobaei florilegio comparari potest, collegit. Epicteti reliquiis primus recte adiecit Meibomius in ed. Epict. Utr. MDCCXI. in M. Antonini Cohortationis ad se ipsum

libris XII nec verbum *συνείδησις* nec *συνειδός* invenitur; aliis tamen vocabulis exprimitur notio, ut III, 12 voce *δαίμονος*; IX, 2 *διανοίας*; IX, 42 *φύσεως*. sententiae quae rem attingunt leguntur saepius, e. g. I, 16: V, 3. 25.

Adscribere liceat hic nonnullas Plinii sententias qui hac in re Stoicos sequitur. Ep. I, 22: „magnitudo", inquit, „animi nihil ad ostentationem, omnia ad *conscientiam* refert, recteque facti non ex populi sermone mercedem sed ex facto petit." Ep. I, 8: „meminimus quanto maiore animo honestatis fructus in *conscientia* quam in fama reponatur." cf. Ep. I, 12; Paneg. 67.

Memorentur iam alii scriptores qui conscientiae notionis mentionem faciunt, quique sunt pauci tantum: primo quidem illi qui philosophis adnumerari solent. Philo Platonis doctrinam magis quam aliorum sequens, ut dictum sit illud: *ἢ Πλάτων φιλωνίζει ἢ Φίλων πλατωνίζει*, profitetur sententiam, duo esse principia aeterna, deum et mundum, et duo in homine, animam et corpus, animam autem partem esse hominis meliorem atque deo cognatam. de mundi opif. 35. Mang.: *πᾶς ἄνθρωπος κατὰ μὲν τὴν διάνοιαν ᾠκείωται θείῳ λόγῳ τῆς μακαρίας φύσεως ἐκμαγεῖον ἢ ἀπόσπασμα ἢ ἀπαύγασμα γεγονώς*. quae animae pars nominatur etiam *πνεῦμα, νοῦς, λογικὴ ψυχή, λόγος, ψυχὴ τῆς ψυχῆς, τὸ ἡγεμονικόν, τὸ λογικόν* (Gfrörer, Philo und die alexandrinische Theosophie I. 390). his nominibus non raro homo ipse comprehenditur. de agric. III, 6 Pfeif.: *ἄνθρωπος δὲ ἐν ἑκάστῳ ἡμῶν τίς ἂν εἴη πλὴν ὁ νοῦς*. interior homo, qui est mens vel animus, in anima habitat quasi princeps et iudex et moderator vitae humanae, interdum etiam fit accusator qui nos conscientiae

habenis (*ταῖς τοῦ συνειδότος ἡνίαις*) severe coerceat (de eo quod det. pot. p. 196 Mang.). homo sui ipsius est accusator convictus conscientia (*ὑπὸ τοῦ συνειδότος ἐλεγχόμενος*. de Josepho 49 Mng.). quod his locis significat vox *ἄνθρωπος*, alibi fere exprimit vocabulum *νοῦς*. eorum enim de quibus homo secum intus consulat testis esse dicitur *ὁ νοῦς*. de poster. Cain 236 Mng.: *καὶ τὸ συνειδὸς ἔλεγχος ἀδέκαστος καὶ πάντων ἀψευδέστατος*. hic ergo *νοῦς* et *συνειδός* sunt idem. eodem modo de mund. opif. 30 Mang. de eo quod est *τοῦ συνειδότος ἔλεγχος* eadem praedicantur quae alibi de eo quod est *ἄνθρωπος* et *νοῦς*, iudicem esse videlicet in anima hominis insidentem et modo gravibus minis punire modo lenibus adhortationibus a malo retinere. vox *συνείδησις* legitur in fragmento ex Philonis scriptis apud Io. Damascenum Sacr. parall., p. 782 *D* (in Phil. opp. ed. Mang. p. 659): *ἱκανὸς γὰρ πρὸς τιμωρίαν ἡ τοῦ φαύλου συνείδησις, οἰκόθεν ὥς ἐκ πληγῆς δειλίαν προτείνουσα τῇ ψυχῇ*.

Raro admodum invenitur notio conscientiae in scriptis Plutarchi. I, 99 *B* (edit. Francf. MDIC): *ἐλαυνόμενος τῷ συνειδότι τοῦ πράγματος*; II, 84 *D*: *τῷ συνειδότι τοῦ ἐνδεοῦς δακνόμενος*; II, 85 *C*: *τοῦ συνειδότος ἐκβεβαίωσις*. cf. II, 656 *A*.

Simplicius in Commentario ad Epicteti manuale c. 38 (37) (Philos. Epictet. monum. ed. Schweighaeuser IV, 399) de poena eiusque fine loquens censet, commissarum iniuriarum poenitentiam in hominibus excitandam esse poena, qua revocatio ad bonam frugem efficiatur. optime autem id fieri in iis qui se ipsi puniant. *οἱ γὰρ γνησίως μεταμελόμενοι*, inquit, *ταῖς πικροτάταις τοῦ συνει-*

δότος αἰκίαις ἑαυτοὺς κολάζουσιν. ad cap. 48 (33) (Schwgh. cit. IV, 439): ὁ δὲ ἀπολογούμενος καὶ μὴ τῷ ἑαυτοῦ συνειδότι ἀρκούμενος καὶ τῇ κρίσει τοῦ πάντα εἰδότος θεοῦ, δῆλός ἐστι ἀρέσκειν ἀνθρώποις βουλόμενος, διὸ ἐὰν ἐκείνους (τοὺς ἐκτός) καὶ ψευδῆ λέγων πείσῃ ὅτι οὐχ ἁμαρτάνει, ἀναπέπαυται ὡς μηδὲν ἁμαρτάνων ἀρκούμενος τῷ πεῖσαι τοὺς κριτὰς, οὓς ἑαυτῷ προὐβάλλετο. ἐὰν δὲ τῶν ἔξω καταφρονῶν ἑαυτοῦ κριτὴς ἀδέκαστος γένηται, ἐξελέγχεται τὸ ἁμάρτημα διὰ τῆς αὐτοῦ τοῦ ποιήσαντος μαρτυρίας.

Sequantur rerum gestarum scriptores. Diod. Sic. narrat. IV, 65, 75, Eriphylen Amphiarao marito suo persuasisse, ut contra Thebas pugnaret, quamvis a vate certiorem factam, eum in pugna occisum iri; Amphiaraum autem Alcmaeoni filio iussisse, si ipsi interiisset, matrem occidere. Alcmaeonem igitur patri obediisse: ἀνεῖλε, inquit Diodorus, τὴν μητέρα καὶ διὰ τὴν συνείδησιν τοῦ μύσους εἰς μανίαν περιέστη.

Dionys. Hal. Antiquitt. Rom. lib. VIII p. 481 (ed. Sylb. Frncf. MDLXXXVI) refert, Cn. Marcio τὴν συνείδησιν, cum Volscis tot clades intulisset, dubitationem iniecisse, utrum ad illos transiret, necne. idem Dionys. l. l. p. 519 narrat, cum Cn. Marcius Volscorum dux Romam oppugnans et rogatus, ut exercitum reduceret imperiumque deponeret, id fieri posse negasset, matrem respondisse: ταῦτα οὔτε ἀδύνατα πάσης τε ἀδίκου καὶ ἀνοσίου συνειδήσεως καθαρὰ (εἶναι). l. l. p. 140 legimus: μιαίνειν αὐτοῦ συνείδησιν ... Herodianus hist. lib. VI, 3, 9 scribit: τὸ δὲ τοὺς ὀχλοῦντας ἀποσείεσθαι ἔκ τε τῆς ἀγαθῆς συνειδήσεως ἔχει τὸ θαῤῥάλεον. VII, 1, 8 narrat, Alexandri Severi successorem

Maximinianum, ab infimo dignitatis gradu elatum ad summum, omnes nobiles et honoribus praeditos longe a se arcuisse, et caussam addit hisce: *μόνος εἶναι βουλόμενος ἐν τῷ στρατῷ καὶ μηδένα αὐτῷ παρεῖναι ἐκ συνειδήσεως εὐγενοῦς κρείττονα κτλ.* Liceat denique ex Luciano, Amor. 49 (II, p. 453 ed. Reitz), adscribere haec: *οὐδεμίας ἀπρεποῦς συνειδήσεως παροικούσης κτλ.*

Hi sunt loci, in quibus voces *συνείδησις* et *συνειδός* ad significandam conscientiam moralem, nonnunquam ad exprimendam sui ipsius conscientiam, quam prius verbo *συνειδέναι* notatam fuisse vidimus, usurpantur. unus tantum locus superest, ubi longior, quam apud veteres inveniri solet, explicatio conscientiae legitur. Philostratus enim in Vita Apollonii Tyanaei VII, 7 (ed. Morell. p. 338) haec habet: *ἐγὼ ἡγοῦμαι τὸν σοφὸν μηδὲν ἰδίᾳ μήδ᾽ ἐφ᾽ ἑαυτοῦ πράττειν, μήδ᾽ ἂν ἐνθυμηθῆναι οὕτως ἀμάρτυρος, ὡς μὴ αὐτὸν γοῦν ἑαυτῷ παρεῖναι ... δοκεῖ μοι ὁ σοφὸς ἑαυτὸν γιγνώσκων καὶ προστάτην ἔχων τὸν ἑαυτοῦ νοῦν ... πρὸς γὰρ τῷ Πυθικῷ ἐπιγράμματι (γνῶθι σαυτὸν) καὶ τὸ τοῦ Εὐριπίδου ἐπαινεῖ, ξύνεσιν ἡγουμένου περὶ τοὺς ἀνθρώπους εἶναι τὴν ἀπολλῦσαν αὐτοὺς, ἐπειδὴ ἐνθυμηθῶσιν, ὡς κακὰ εἰργασμένοι εἰσίν. ἥδε γάρ που καὶ τῷ Ὀρέστῃ τὰ τῶν εὐμενίδων εἴδη ἀνέγραψεν, ὅτε δὴ μαίνεται ἐπὶ τῇ μητρί. νοῦς μὲν γὰρ τῶν πρακτέων κύριος· ξύνεσις δὲ τῶν ἐκείνῳ δοξάντων. ἢν μὲν δὴ χρηστὰ ἕληται ὁ νοῦς, πέμπει ἤδη τὸν ἄνδρα ἡ ξύνεσις εἰς πάντα μὲν ἱερὰ, πάσας δὲ ἀγράς ... ἐφυμνήσει δὲ αὐτῷ καὶ καθεύδοντι περιστᾶσα χορὸν εὔφημον ἐκ τοῦ τῶν ὀνείρων δήμου. ἢν δ᾽ ἐς φαῦλα ὀλισθήσῃ ἡ τοῦ νοῦ στάσις, οὐκ ἐᾷ*

τοῦτον ἡ ξύνεσις οὔτε ὄμμα ὀρθὸν εἰς ἀνθρώπων τινὰ ἀφεῖναι, οὔτε τὸ ἀπ' ἐλευθέρας γλώττης φθέγμα, ἱερῶν τε ἀπελαύνει καὶ τοῦ εὔχεσθαι, οὐδὲ γὰρ χεῖρα αἴρειν ξυγχωρεῖ ἐς τὰ ἀγάλματα, ἀλλ' ἐπισκώπτει αἴροντας, ὥσπερ τοὺς ἐπανατεινομένους οἱ νόμοι … ὡς μὲν δὴ ἐλέγξει με ἡ ξύνεσις ἐς εἰδότας καὶ μὴ εἰδότας ἥκοντα, προδότης γενοίμην τῶν ἀνδρῶν κτλ. cum in his verbis *σύνεσις* ad significandam conscientiam pluries usurpata esse videatur, quod fieri posse supra negavimus, pauca de huius vocabuli notione dicenda sunt.

Vox *σύνεσις*, a verbo *συνιέναι* derivata, significat intelligentiam, qua et res et hominum cogitationes comprehendimus. igitur *ἡ σύνεσις* propria est mentis bene excultae et eruditae. qua de caussa coniunguntur *σύνεσις* et *ἐπιστήμη* apud Platonem Crat. 437 ***B***, quibus opponitur *ἄγνοια* Rp. II, 376 ***B***. coniunguntur *σύνεσις* et *παιδεία* Dem. 18, 127 (ed. Bekk.). Aristoteles *τὴν σύνεσιν* inter virtutes intellectuales numerat eique iudicium de iis tribuit, quae *ἡ φρόνησις* homini praecipiat, Eth. N. VI, 11: *ἡ σύνεσις ἐστιν … περὶ ὧν ἀπορήσειεν ἄν τις καὶ βουλεύσαιτο. διὸ περὶ τὰ αὐτὰ μὲν τῇ φρονήσει ἐστὶν, οὐκ ἔστι δὲ ταὐτὸν σύνεσις καὶ φρόνησις· ἡ μὲν γὰρ φρόνησις ἐπιτακτική ἐστιν … ἡ δὲ σύνεσις κριτικὴ μόνον κτλ.* similiter hac voce utuntur Stoici. Diog. L. VII, 126: *ἡ φρόνησις περὶ τὰ ποιητέα καὶ μὴ καὶ οὐδέτερα … ἕπονται δὲ τῇ μὲν φρονήσει εὐβουλία καὶ σύνεσις.*

Apud Euripidem vero Orest. 390 leguntur haec: *τί χρῆμα πάσχεις;* inquit Menelaus interrogans Orestem; *τίς σ' ἀπόλλυσιν νόσος;* respondet Orestes: *ἡ σύνεσις, ὅτι σύνοιδα δείν' εἰργασμένος.* priusquam enim Orestes

matrem occidit, illam interficere arbitrabatur non esse scelus, sed patris sceleste occisi iustam vindictam. caede autem illa nefanda perpetrata intellexit, grave scelus se commisisse: quae scientia valde eum afflixit. non in vocabulo igitur quod est *σύνεσις*, hic est conscientiae significatio, sed in sententia, praecipue in verbis: *ὅτι σύνοιδα δείν' εἰργασμένος.* quapropter, qui hoc loco *σύνεσιν* vertant conscientiam, non plane errant, quamquam illa vox per se eam non significat.

Quid iam de Polybii loco supra (p. 30) allato statuendum est? codicum enim Polybianorum ille, qui Urbinas seu Urbino-Vaticanus appellatur et saeculi XII esse ducitur, sententiam illam exhibet in ora positam. namque epitomis Polybii historiarum ibi traditis sententiae philosophicae, ex illius libris desumptae, in margine adscriptae sunt, quae certo habentur Polybianae (cf. Casaubon. coll. fragg. Polyb., ed. Gronov. II, p. 1542). traditur etiam ille locus in alio codice, qui tamen minoris est auctoritatis (cf. Schweighaeuser, Polyb. hist. rec. t. VII, p. 382). ex illius fragmenti sententia et ex Livii loco, qui huic respondere videtur (XXXIII, 28: „Zeuxippus“ …, inquit Livius, „nocte perfugit Tanagram, suam magis ***conscientiam*** quam iudicium hominum nullius rei consciorum metuens“), efficitur, ut notionem conscientiae hic a Polybio expressam esse statuamus. cum vero *σύνεσις* neque omnino conscientiam significet, et apud Stoicos, a quorum disciplina Polybium pendere diximus, plane aliud exprimat, apparet, vocem *σύνεσιν* improbandam et scribendum esse: *ἡ συνείδησις ἡ ἐγκατοικοῦσα κτλ.*

In eandem, quam exposuimus, sententiam vocem

σύνεσις explicant veteres lexicographi. Hesychius *σύνεσιν* simpliciter vertit *νόησιν*. Suidas (p. 1620 ed. Gaisf.) *σύνεσιν* ait esse *ἐπίληψιν τῶν πραγμάτων*. Zonaras Lexic. p. 1686: *σύνεσις, λογικὴ διάγνωσις ἢ κρίσις ὀρθὴ περὶ τῶν ὑφ᾽ ἑτέρων λεγομένων αἱρετῶν ἢ φευκτῶν. σύνεσίς ἐστιν, ἀφ᾽ ἧς κρίνομεν καλῶς τὰ ὑπὸ ἄλλων λεγόμενα, περὶ ὧν ἐστιν ἡ φρόνησις ἐπιτακτική.*

Attamen, quod in hominum sermone fieri solet, ut multorum vocabulorum significatio principalis paulatim mutetur in aliamque vertatur, factum esse videtur in vocabulo *συνέσεως*. Herodianus enim Hist. IV, 7, 1 haec habet: ... *τοιαῦτα δὴ πράττων ὑπό τε τῆς τῶν ἔργων συνέσεως ἐλαυνόμενος κτλ.* quibus ex verbis elucet, qui fieri potuerit, ut vox *σύνεσις συνειδήσεως* loco usurparetur; namque genitivus *τῶν ἔργων* apud Herodianum istius vocabuli significationem antiquam satis indicat; at illud *ἐλαυνόμενος* prae se fert significationem conscientiae. itaque factum est, ut Philostratus non dubitaret, conscientiae notionem voce *συνέσεως* nullo vocabulo addito exprimere, praesertim cum putaret, Euripidem illam vim vocabulo *συνέσεως* tribuisse. eandem denique opinionem, vocem *σύνεσιν* usque ab antiquis temporibus notare conscientiam, secuti esse videntur, qui Menandro aliisque prioris aetatis poetis sententias eius generis, quod supra p. 20 notavimus, supposuerunt.

Reliquum est, ut paucis disseramus, quae fuerit notio conscientiae apud Romanos. quamquam enim ex Romanorum scriptis nihil novi afferri potest, quo illa notio explicetur aut illustretur, tamen memoratu dignum est, quod vix unus scriptorum Latinorum etiam vetu-

stiorum invenitur, qui non pluries conscientiae aut animi sibi conscii vel mentis sibi consciae, ut poetae loqui solent, mentionem faciat. omnibus autem locis, ubi conscientiae vocabulum usurpatum est, duo distingui possunt, quorum unum est, conscientiam a Romanis cogitari ut hominis scientiam vel memoriam factorum suorum, alterum, in illa fere semper positam esse sentiri vim quandam, quae ex facto ipso quasi proficiscens de eo iudicet, quae factum probet aut improbet, ex quo iudicio animi laetitia aut dolor exsistat. conscientiae vero laetitiae et dolores multis modis describuntur. testes sint Plautus, Lucretius et Cicero. Mostell. III, 1, 13: „nihil est miserius", inquit Plautus, „quam animus hominis conscius." cf. Amphitr. II, 2, 206. Lucretius IV, 1125 ss., vitae deliciis descriptis, haec habet:

„nequiquam, quoniam medio de fonte leporum
surgit amari aliquid, quod in ipsis floribus angat,
aut cum conscius ipse animus se forte remordet
desidiose agere aetatem lustrisque perire."

In Ciceronis scriptis distinguendum est, utrum ex sua ipsius sententia, an ex Stoicorum doctrina illa voce utatur. prioris tantum generis loci, quid Romani de hac re senserint, ostendunt. Senect. 3: „*conscientia*", inquit, „bene actae vitae multorumque benefactorum recordatio iucundissima est." Famil. VI, 4: „*conscientia* rectae voluntatis maxima consolatio est rerum incommodarum." Fam. III, 7: „fretus *conscientia* officii mei benevolentiaque ..." Brut. 71: „... consolari se *conscientia* optumae mentis." Mil. 23: „... nullo metu perterritus, nulla *conscientia* exanimatus Romam revertit." Pison. 18: „... infirmatus *conscientia* scelerum

et fraudum suarum." Catil. II, 6: „cum ille homo audacissimus *conscientia* convictus primo reticuisset ..." Mil. 23: „magna vis est *conscientiae*, iudices, in utramque partem." Parad. 2: „te *conscientiae* stimulant maleficiorum tuorum ... ut Furiae, sic tuae tibi occurrunt iniuriae, quae te respirare non sinunt." conscientiae cruciatus poenarum loco esse docet Cic. Legg. I, 14: „itaque", inquit, „poenas luunt (homines scelesti) non tam iudiciis, quam ut eos agitent insectenturque Furiae non ardentibus taedis, ut in fabulis, sed angore *conscientiae* fraudisque cruciatu."

Stoicam doctrinam sapiunt loci qui sequuntur. Finib. II, 22: „... ut nostram stabilem *conscientiam* contemnamus, aliorum errantem opinionem aucupemur." Tusc. II, 26: „nullum theatrum virtuti *conscientia* maius est." Att. XII, 28: „mea mihi *conscientia* pluris est, quam omnium sermo." Att. X, 4: „praeclara *conscientia* sustentor, cum cogito, me de republica aut meruisse optume aut certe nunquam nisi divine cogitasse ... hac igitur *conscientia* proficiscar" (in exsilium). Phil. II, 44: „etsi enim satis in *conscientia* pulcherrimi facti (expulsi Tarquinii) fructus erat, tamen mortali immortalitatem non arbitror esse contemnendam." Off. III, 21: „hunc (tyrannum) tu quas *conscientiae* labes in animo censes habuisse?" quod haec conscientiae notio apud Stoicos nonnunquam naturae voce exprimitur, ne haec quidem notionis illius significatio a Ciceronis sermone aliena est. Finib. enim. II, 9, § 28 Epicuri de summo bono doctrina impugnatur ita, ut philosophus in magnis interdum versari angustiis dicatur, „ut hominum *conscientia* remota, nihil tam turpe sit, quod voluptatis

causa non videatur esse facturus." pergit Cicero: „deinde, ubi erubuit — vis enim est permagna *natura* — confugit illuc, ut neget, accedere quidquam posse ad voluptatem nihil dolentis."

Haec exempla, quorum numerus ex Suetonio, Sallustio, Livio, Tacito, Quintiliano, deinde ex Horatio, Ovidio, Iuvenali, aliis augeri possit, sufficiant, ut probemus, scriptores Latinos, quae esset conscientiae natura, non quaesivisse quidem, sed quomodo vitae consuetudo istam notionem suppeditaret, sic ea usos esse.

Omnium, quae de notione conscientiae apud veteres disputavimus, summa haec est. homines usque a vetustissimis temporibus illos animi affectus et motus, qui memoria bene aut turpiter factorum excitantur, senserunt; deinde legis naturalis, quae ut recte faciamus incitat et admonet, conscii facti sunt. philosophi illa virtutis semina, homini insita, non uno modo designarunt. illud autem, quod legem naturalem eiusque in animo hominis effectus, qui actionem sequuntur, coniungit atque complectitur, Stoici demum notione comprehenderunt. ut enim in Stoicorum physica deus universum penetrare ac regere censetur; lex autem illa vis habetur, qua omnia necessitate fatali reguntur atque ordinantur omnisque rerum naturae turbatio vindicatur: sic deus ille, qui in homine habitat et daemon nominatur, omnes animi vires regere et regulam vitae praescribere, atque eum, qui illam neglexerit, punire ducitur; vis autem moralis, qua homo in omni vita regitur et, si legem contemnit, punitur, *ἡ συνείδησις* vel *τὸ συνειδός* esse perhibetur. necessitudo igitur, quae in

physica Stoicorum inter deum et εἱμαρμένην intercedit, in eorum ethica inter daemonem et συνείδησιν invenitur. quae notio cum formata esset, a scriptoribus non unius generis usurpata est, plerumque quidem ita ut memoriam vel scientiam turpiter factorum significarent, quae significatio ab oratione vulgari propius aberat. praecipue autem Romani, quorum gravitati maxime haec notio consentanea erat, illam significationem conscientiae tribuerunt.

Quae cum ita sint, plane assentimur Schluetero, qui in commentatione philosophica: de conscientiae moralis natura atque indole, p. 5 contendit et probat, Hegelium, et qui cum illo in hac quaestione consentiant, errare, cum in libris de re aesthetica posthumis p. 358 dicat: die innere Reflexion z. B. des Gewissens bei der Entscheidung dessen was gut und schlecht sei, Gewissensbisse und Reue gehören erst der moralischen Ausbildung der modernen Zeit an.

Priusquam conscientiae notionem in libris sacris Novi Testamenti perquiramus, pauca ex Veteris Test. libris, quae huc spectare videntur, praemittenda sunt. in Geneseos libro 3, 7 sq. traditum est, homines, ut in paradiso peccavissent, culpae sibi conscios conscientiae poenam sensisse. conscientiae effectus eiusdem libri cap. 4 describuntur, ubi Caini scelus ac poena narratur. his primis de conscientiae poenis testimoniis ex V. T. libris multa alia adici possunt; sed sufficiant illa, ut probetur, Hebraeos quoque conscientiae effectus cognitos habuisse. vox quidem Hebraica qua conscientia significetur in illis libris deest, sed nomen eius hominis partis, ex qua omnes animi vires effectusque exoriuntur et quae eos in se continet, ad omnes animi mentisque vires exprimendas usurpatur. atque haec hominis pars nominatur לֵב. itaque saepissime cordi tribuuntur, quae nos conscientiae adscribimus. a corde iudicari dicitur Iob 27, 6; cor omnium turpiter factorum conscium esse dicitur III Reg. 2, 44; cor Davidem, cum contra Dei voluntatem populum numerasset, percussisse dicitur II Reg. 24, 10, cf. I Reg. 24, 6.

Similiter in N. T. libris usurpatur *ἡ καρδία.* nam ibi quoque cor velut fons cogitationum voluntatumque designatur. Mt. 15, 19: *ἐκ γὰρ τῆς καρδίας ἐξέρχονται*

διαλογισμοὶ πονηροί, φόνοι, μοιχεῖαι, πορνεῖαι, κλοπαί, ψευδομαρτυρίαι, βλασφημίαι. cf. Mc. 7, 21. 22. cordis est, nos reprehendere. I. Io. 3, 21. 22: ... *ὅτι ἐὰν καταγινώσκῃ ἡμῶν ἡ καρδία, ὅτι μείζων ἐστὶν ὁ θεὸς τῆς καρδίας ἡμῶν καὶ γινώσκει πάντα. ἀγαπητοί, ἐὰν ἡ καρδία μὴ καταγινώσκῃ ἡμῶν, παῤῥησίαν ἔχομεν πρὸς τὸν θεόν.* igitur cordis notionem, quae est in libris sacris N. T., Beck recte exponit his verbis: „das Herz ist der Mittelpunkt des ganzen Menschen, der Centralheerd des Lebenstriebes, der Träger des persönlichen Bewufstseins mit Selbstbestimmung und Vernunftthätigkeit, die Bildungsstätte aller selbstständigen Verrichtungen und Zustände, es vermittelt alle Beziehungen und Handlungen sowohl nach der geistigen als leiblichen Seite hin, sofern sie mit Selbstbewufstsein und Freithätigkeit erfolgen; nach dem Herzen charakterisirt sich der sittliche Gesammtzustand des Menschen, im Herzen liegen die Bedingungen der Sprache, im Herzen erweist sich das natürliche Gesetz, und mittels der Wiedergeburt das neue Gesetz Gottes als lebendige Macht.“ cui definitioni Delitzsch (System der biblischen Psychologie, p. 207) addit haec: „Alles was hellenisch und hellenistisch *νοῦς, συνείδησις, θυμός* genannt wird, liegt in *καρδία* in einander.“

Attamen, quamvis *ἡ καρδία* in N. T. illam significationem retineat, cum animi vires accuratius distinguuntur, tum conscientiae notio praecipue a St. Paulo apostolo usurpatur et designatur. ut autem locos, in quibus *ἡ συνείδησις* commemoratur, perpendamus, ab illis, quibus *ἡ συνείδησις* cum sua cuiusque hominis scientia cohaerere et ab ea dependere perhibetur, in-

cipientes ad eos locos, quibus sua ipsius conscientiae vis et natura designatur, progrediamur.

Inter illius generis locos numeranda sunt, quae de conscientia I Cor. 8 et 10 leguntur. ibi apostolus docet, praeter unum Deum verum deos esse nullos; cum vero dii non sint, carnes diis sacrificatas a ceteris carnibus nihil differre, ideoque a Christianis comedi licere. hanc autem intellegentiam non omnibus esse fidelibus, cum nonnulli priorem de diis opinionem nondum plane abiecerint, eaque de caussa eum, qui carnes diis sacrificatas edat, communionem cum diis inire arbitrentur. hos igitur, si alios edentes videant, eorum exemplo ductos esuros ipsos atque peccaturos esse. apostoli verba haec sunt. I Cor. 8, 7: *ἀλλ' οὐκ ἐν πᾶσιν ἡ γνῶσις· τινὲς δὲ τῇ συνηθείᾳ* (Lachm.) *ἕως ἄρτι τοῦ εἰδώλου ὡς εἰδωλόθυτον ἐσθίουσιν, καὶ ἡ συνείδησις αὐτῶν ἀσθενὴς οὖσα μολύνεται.* v. 9 et 10: *βλέπετε δὲ μή πως ἡ ἐξουσία ὑμῶν αὕτη πρόσκομμα γένηται τοῖς ἀσθενέσιν. ἐὰν γάρ τις ἴδῃ σὲ τὸν ἔχοντα γνῶσιν ἐν εἰδωλείῳ κατακείμενον, οὐχὶ ἡ συνείδησις αὐτοῦ ἀσθενοῦς ὄντος οἰκοδομηθήσεται εἰς τὸ τὰ εἰδωλόθυτα ἐσθίειν.* v. 12: *οὕτως δὲ ἁμαρτάνοντες εἰς τοὺς ἀδελφοὺς καὶ τύπτοντες αὐτῶν τὴν συνείδησιν ἀσθενοῦσαν, εἰς Χριστὸν ἁμαρτάνετε.* cp. 10, 25: *πᾶν τὸ ἐν μακέλλῳ πωλούμενον ἐσθίετε μηδὲν ἀνακρίνοντες διὰ τὴν συνείδησιν.* v. 27—29: *εἴ τις καλεῖ ὑμᾶς τῶν ἀπίστων καὶ θέλετε πορεύεσθαι, πᾶν τὸ παρατιθέμενον ἐσθίετε μηδὲν ἀνακρίνοντες διὰ τὴν συνείδησιν· ἐὰν δέ τις ὑμῖν εἴπῃ. Τοῦτο ἱερόθυτόν ἐστιν, μὴ ἐσθίετε δι' ἐκεῖνον τὸν μηνύσαντα καὶ τὴν συνείδησιν. συνείδησιν δὲ λέγω οὐχὶ τὴν ἑαυτοῦ, ἀλλὰ τὴν τοῦ ἑτέρου. ἵνα τί*

γάρ ἡ ἐλευθερία μου κρίνεται ὑπὸ ἄλλης συνειδήσεως; ex his versibus intellegitur, conscientiam esse in hominis animo de iis iudicium, quae ipsi facere liceat, quae non; hoc vero iudicium scientia, quae cuique sit, inniti; quamobrem, si illa mutetur, mutari iudicium; si amplificetur, iudicium corrigi. igitur cum hoc iudicium cum hominis scientia tanquam cum fundamento suo connexum sit, ita ut conscientia a sua cuiusque ac non ab aliorum scientia dependeat, hominem suam tantum conscientiam respicere eiusque iudicium sequi, oportere. ergo si quis suam conscientiam neglegens aliquid faciat, quoniam faciant alii, eum peccare, cum conscientiam suam offendat. hoc ne fiat, summopere esse cavendum. itaque hic illa conscientiae notionis pars praecipue apparet, quam voce vernacula subjectiv et individuell nominaverim.

Si homini, ne conscientia offendatur, imprimis cavendum est, conscientiam non offendisse vel bonam conscientiam servasse summa laus erit. huc pertinent illi loci, ubi apostolus bonae conscientiae auctoritate nititur, eamque factorum suorum quasi testem advocat, qui repelli non possit. Act. 23, 1: ...*Ἄνδρες ἀδελφοί, ἐγὼ πάσῃ συνειδήσει ἀγαθῇ πολιτεύομαι τῷ θεῷ ἄχρι ταύτης τῆς ἡμέρας.* 24, 16: *ἐν τούτῳ καὶ αὐτὸς ἀσκῶ ἀπρόσκοπον συνείδησιν ἔχειν πρὸς τὸν θεὸν καὶ τοὺς ἀνθρώπους διὰ παντός.* Hebr. 13, 18: *πειθόμεθα γὰρ ὅτι καλὴν συνείδησιν ἔχομεν, ἐν πᾶσιν καλῶς θέλοντες ἀναστρέφεσθαι.* II Tim. 1, 3: *χάριν ἔχω τῷ θεῷ, ᾧ λατρεύω ἀπὸ προγόνων ἐν καθαρᾷ συνειδήσει.* similiter I Petr. 15—16: *κύριον δὲ τὸν Χριστὸν ἁγιάσατε ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν, ἕτοιμοι ἀεὶ πρὸς ἀπο-*

λογίαν παντὶ τῷ αἰτοῦντι ὑμᾶς λόγον περὶ τῆς ἐν ὑμῖν ἐλπίδος, ἀλλὰ μετὰ πραΰτητος καὶ φόβου, συνείδησιν ἔχοντες ἀγαθήν, ἵνα ἐν ᾧ καταλαλοῦσιν ὑμῶν ὡς κακοποιῶν καταισχυνθῶσιν οἱ ἐπηρεάζοντες ὑμῶν τὴν ἀγαθὴν ἐν Χριστῷ ἀναστροφήν. II Cor. 1, 12: *ἡ γὰρ καύχησις ἡμῶν αὕτη ἐστίν, τὸ μαρτύριον τῆς συνειδήσεως ἡμῶν, ὅτι ἐν ἁγιότητι καὶ εἰλικρινείᾳ τοῦ θεοῦ, οὐκ ἐν σοφίᾳ σαρκικῇ ἀλλ' ἐν χάριτι θεοῦ ἀνεστράφημεν ἐν τῷ κόσμῳ, περισσοτέρως δὲ πρὸς ὑμᾶς.* conscientiae testantis in contrariam partem vis elucet ex Io. 8, 1—11. ibi traditum est, Iudaeos mulierem in adulterio deprehensam ad Iesum duxisse interrogantes, quid ei esset faciendum, cum Moses lege praescripsisset, ut tales mulieres lapidibus interficerentur; cum vero Iesus respondisset, ut is, qui ex iis non peccasset, primus lapidem in illam immitteret, eos conscientia argutos abiisse. *οἱ δὲ ἀκούσαντες,* inquit St. Ioannes v. 9, *καὶ ὑπὸ τῆς συνειδήσεως ἐλεγχόμενοι ἐξήρχοντο εἷς καθεῖς, ἀρξάμενοι ἀπὸ τῶν πρεσβυτέρων ἕως τῶν ἐσχάτων.*

His locis igitur magis testimonium quam iudicium conscientiae apparet; testis enim est vitae praeteritae. at non solum praeterita, sed etiam quod in hominis animo praesens est, conscientia testatur atque probat. ita fit, ut St. Paulus Rom. 9, 1 rei gravissimae probandae caussa ad conscientiam velut ad certissimum testem provocet. verba enim: *οὐ ψεύδομαι, συμμαρτυρούσης μοι τῆς συνειδήσεώς μοι ἐν πνεύματι ἁγίῳ* iurisiurandi formulae locum tenent. conscientiae munera, testimonium et iudicium, coniuncta sunt II Cor. 5, 11: *εἰδότες οὖν τὸν φόβον τοῦ κυρίου ἀνθρώπους πείθομεν, θεῷ δὲ πεφανερώμεθα· ἐλπίζω δὲ καὶ ἐν ταῖς συνει-*

δήσεσιν ὑμῶν πεφανερῶσθαι; et II Cor. 4, 2: *ἀλλὰ ἀπειπάμεθα τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης, μὴ περιπατοῦντες ἐν πανουργίᾳ μηδὲ δολοῦντες τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, ἀλλὰ τῇ φανερώσει τῆς ἀληθείας συνιστάντες ἑαυτοὺς πρὸς πᾶσαν συνείδησιν ἀνθρώπων ἐνώπιον τοῦ θεοῦ.* namque hic omnibus hominibus facultatem apostolus attribuit, ut, quae alii fecerint, honesta sint an non, diiudicent. in quo iudicio testimonium est, cum apostolus hominum conscientias advocet, ut ipsius vitam honestam testentur.

Cum St. Pauli verba proxime prolata non solum ad Christianos (II Cor. 5, 11), sed etiam ad infideles spectent, sequitur, ut hi quoque notitiam quandam moralem in se habeant, qua hominum facta, ergo etiam ipsorum metiantur. iam clarius haec doctrina exponitur R. 2, 14. 15: *ὅταν γὰρ ἔθνη,* inquit apostolus, *τὰ μὴ νόμον ἔχοντα φύσει τὰ τοῦ νόμου ποιῶσιν, οὗτοι νόμον μὴ ἔχοντες ἑαυτοῖς εἰσὶν νόμος, οἵτινες ἐνδείκνυνται τὸ ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, συμμαρτυρούσης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως καὶ μεταξὺ ἀλλήλων τῶν λογισμῶν κατηγορούντων ἢ καὶ ἀπολογουμένων.* versibus, qui antecedunt, apostolus docet, neque Iudaeos neque Graecos, si peccaverint, aerumnas effugere posse; at Iudaeos et Graecos, si bene fecerint, honorem gloriam et pacem adepturos esse. utrosque enim honesta ac turpia cognoscere, illos, cum legem Mosaicam habeant, hos — iam docet apostolus —, cum sibi ipsi lex sint. legem enim gentibus inesse et qua ratione in illis appareat, exponitur v. 15. duae sunt huius versus partes, quarum altera iterum in duas discedit. una versus pars sunt verba: *οἵτινες ἐνδείκνυνται*

τὸ ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὑτῶν; altera: συμμαρτυρούσης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως, et: μεταξὺ ἀλλήλων τῶν λογισμῶν κατηγορούντων ἢ καὶ ἀπολογουμένων. priore parte docetur, gentes legis notitiam sibi inesse ostendere; ratio autem qua gentes hoc ostendant, describitur verbis συμμαρτυρούσης κτλ., et μεταξύ κτλ., quae illud „ἐνδείκνυνται" declarant. haec ratio igitur duplex est. illorum enim, συμμαρτυρούσης κτλ., et μεταξύ κτλ., unum iuxta alterum apostolus ponit, tanquam eiusdem generis actus, qui tamen distinguendi sunt, si psychologicam, quam vocant, huius rei functionem intellegere velis. conscientia homini testatur, quae honeste, quae turpiter fecerit. cui testimonio se adiungit, quod verbis μεταξύ κτλ. exprimitur, et ex conscientiae testimonio necessario proficiscitur. homo ab apostolo tanquam in ius vocatus cogitatur, ubi conscientia testimonium perhibet, cogitationes autem accusatoris et defensoris vice funguntur. ubicunque vero in iure agitur, ibi legem esse oportet, cum qua facta comparentur quaque diiudicentur. igitur cum conscientiae munus lege morali, hominis animo insita, nitatur, lex moralis et conscientia inter se ita coniunctae sunt, ut una sine altera percipi non possit. itaque huius versus verba priora rem ipsam commemorant, posteriora autem rationem, qua homo huius rei conscius fiat, exponunt. quae igitur saepe distrahuntur, lex naturalis et conscientia, ab apostolo artissimo vinculo inter se connexa esse iudicantur; quae vero confundi solent, conscientiae testimonium et cogitationes accusantes ac defendentes, ab apostolo distinguuntur, cum illud naturam, hae autem effectus conscientiae exprimant. itaque

conscientiae notio hoc loco descripta legis moralis est notitia in homine perpetua. etenim quod huic explicationi, conscientiae vim in homine nunquam non praesto esse, repugnare videtur v. 16: *ἐν ἡμέρᾳ ὅτε κρινεῖ ὁ θεός κτλ.*, omnia inter se bene coniuncta esse non negabis, si concesseris, apostolum, cum scriberet illud *ἐν ἡμέρᾳ*, cogitasse: *ὡς φανερώσεται.*

Lex naturalis in gentibus eum locum tenet, quem apud Iudaeos lex Mosaica obtinet, ita ut illae, si, quae lex praecipit, faciant, *Ἰουδαῖοι ἐν τῷ κρυπτῷ* (cit. v. 29) nominentur. lex autem haec moralis, quae natura (*ὅταν γὰρ ἔθνη … φύσει τὰ τοῦ νόμου ποιῶσιν*) unicuique homini insita est, ut honeste vivat, elevatur et amplificatur, si accedit fides. illa enim lex a fidei lege ita recipi creditur, ut in Christianis iam non lex naturalis sed fides vitam regere dicatur. R. 1, 17: *ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται;* 14, 23: *πᾶν δὲ ὃ οὐκ ἐκ πίστεως, ἁμαρτία ἐστίν.* testandi autem et iudicandi vis etiam in conscientia fide illuminata manet. itaque si conscientia vitam cum fidei praecepto congruere testatur, nominatur conscientia bona, sin minus, conscientia mala. fides ad honeste faciendum adducit, honeste facta conscientiam bonam pariunt, quo fit, ut in Christianis fides et conscientia divelli non posse dicantur. I Tim. 1, 5: *τὸ δὲ τέλος τῆς παραγγελίας ἐστὶν ἀγάπη ἐκ καθαρᾶς καρδίας καὶ συνειδήσεως ἀγαθῆς, καὶ πίστεως ἀνυποκρίτου. τὴν καρδίαν* omnes animi effectus complecti supra vidimus. *καθαρὰ καρδία* hic cogitatur quasi theatrum, in quo fides vera et conscientia bona versantur, vel ut conditio, sine qua neutra cogitari possit. fides et conscientia universum animi statum in hominibus

regeneratis, ut dicuntur, significant, qui mutatur, si illarum altera amittitur. I Tim. 1, 18. 19: *ταύτην τὴν παραγγελίαν παρατίθεμαί σοι, τέκνον Τιμόθεε, κατὰ τὰς προαγούσας ἐπί σε προφητείας, ἵνα στρατεύῃ ἐν αὐταῖς τὴν καλὴν στρατείαν, ἔχων πίστιν καὶ ἀγαθὴν συνείδησιν, ἥν τινες ἀπωσάμενοι περὶ τὴν πίστιν ἐναυάγησαν.* 3, 9: *διακόνους (δεῖ εἶναι) . . . ἔχοντας τὸ μυστήριον τῆς πίστεως ἐν καθαρᾷ συνειδήσει.* 4, 1. 2: *τὸ δὲ πνεῦμα ῥητῶς λέγει, ὅτι ἐν ὑστέροις καιροῖς ἀποστήσονταί τινες τῆς πίστεως, προσέχοντες πνεύμασι πλάνοις καὶ διδασκαλίαις δαιμονίων, ἐν ὑποκρίσει ψευδολόγων, κεκαυστηριασμένων τὴν ἰδίαν συνείδησιν.* idem significat apostolus, cum *τὸν νοῦν καὶ τὴν συνείδησιν* coniungit. Tit. 1, 15: *πάντα καθαρὰ τοῖς καθαροῖς· τοῖς δὲ μεμιασμένοις καὶ ἀπίστοις οὐδὲν καθαρόν, ἀλλὰ μεμίανται αὐτῶν καὶ ὁ νοῦς καὶ ἡ συνείδησις.* ex his locis hoc praecipue elucet, conscientiam artissime cum fide, ergo cum religione cohaerere, quod apostolus verbis expressis docet Rm. 13, ubi omni potestati obediendum esse disserit. cum autem haec doctrina illius temporis Christianis durior videri posset, St. Paulus ostendit, omnem potestatem a Deo ordinatam esse (v. 1. 4. 6), itaque eum, qui illi potestati resistat, divino ordini resistere (v. 2) et divinam legem contemnere. quibus praemissis, *διὸ ἀνάγκη,* inquit v. 5, *ὑποτάσσεσθαι, οὐ μόνον διὰ τὴν ὀργὴν ἀλλὰ καὶ διὰ τὴν συνείδησιν.* intellegitur ex his St. Pauli sententia, Dei voluntatem contemnere et conscientiam laedere esse idem. distinctius eandem sententiam profert St. Petrus ep. I, 2, 19. qui versus quamquam ex St. Pauli verbis explicandus est, tamen invicem illa confirmat. de obedientia igitur,

quam servi dominis non solum bonis et modestis, sed etiam morosis debeant, agens: *τοῦτο γὰρ*, inquit St. Petrus, *χάρις, εἰ διὰ συνείδησιν θεοῦ ὑποφέρει τις λύπας πάσχων ἀδίκως*. verbis *διὰ σ. θεοῦ* duas St. Pauli cogitationes, Dei voluntatem contemnere et conscientiam laedere, in unam comprehensae esse videntur. sic igitur fingendae sunt: aerumnas sustinendas esse propter conscientiae praeceptum, hoc autem praeceptum ex Dei voluntate proficisci. quae sententiae sic iam exprimi possunt: aerumnas sustinendas esse propter conscientiae praeceptum, quod a Deo sit; vel brevius: propter conscientiam quae Dei sit. hoc enim St. Petri verba *διὰ σ. θεοῦ*, significant. hac cum explicatione optime etiam consentit, quod apostolus dicit, aerumnas propter conscientiam Dei sustinere esse *χάριν*. haec enim semper est donum Dei.

In locis, qui sequuntur, *συνειδήσεως* notio iam latius patet. cum enim *τὴν σ.*, cum fidei notione coniunctam, universum hominis animi habitum exprimere supra expositum sit, in locis, quos prolaturi sumus, *ἡ σ.* sola hac significatione usurpatur, fides autem non commemoratur. sententia igitur, ex qua conscientiae notio in epistola ad Hebraeos est intellegenda, haec est: hominem et ab inferiore et a superiore eius parte peccatis maculatum atque immundum esse; utramque partem mundari oportere, Hebraeos ipsos sensisse; qua de caussa eos sacrificia Deo obtulisse; sed his sacrificiis munditiam tantum *κατὰ σάρκα* et ad tempus (cf. IX, 10. 13) impetrasse, *κατὰ συνείδησιν* mundari non potuisse. cf. Hebr. IX, 9. 13. 14: *ἥτις (ἡ πρώτη σκηνή) παραβολὴ εἰς τὸν καιρὸν τὸν ἐνεστηκότα, καθ' ἣν δῶρά τε καὶ θυσίαι*

προσφέρονται μὴ δυνάμεναι κατὰ συνείδησιν τελειῶσαι τὸν λατρεύοντα. (v. 13): *εἰ γὰρ τὸ αἷμα τράγων καὶ ταύρων καὶ σποδὸς δαμάλεως ῥαντίζουσα τοὺς κεκοινωμένους ἁγιάζει πρὸς τὴν τῆς σαρκὸς καθαρότητα, πόσῳ μᾶλλον τὸ αἷμα τοῦ Χριστοῦ, ὃς διὰ πνεύματος αἰωνίου ἑαυτὸν προσήνεγκεν ἄμωμον τῷ θεῷ, καθαριεῖ τὴν συνείδησιν ἡμῶν ἀπὸ νεκρῶν ἔργων εἰς τὸ λατρεύειν θεῷ ζῶντι.* cp. 10, 2: *ἐπεὶ οὐκ ἂν ἐπαύσαντο προσφερόμεναι (θυσίαι), διὰ τὸ μηδεμίαν ἔχειν ἔτι συνείδησιν ἁμαρτιῶν τοὺς λατρεύοντας ἅπαξ κεκαθαρισμένους*; ubi vero Iudaeus fidem Christianorum profitetur, conscientia a peccatis mundatur vel conscientia mala eruitur. 10, 22: *προσερχώμεθα μετ' ἀληθινῆς καρδίας ἐν πληροφορίᾳ πίστεως, ῥεραντισμένοι τὰς καρδίας ἀπὸ συνειδήσεως πονηρᾶς.* his igitur locis conscientia munda animi regenerati habitum significat. cum primum enim homo ad fidem se convertit, priorem statum immundum et vi vitali carentem eruit, id est, *ἡ συνείδησις ἀπὸ νεκρῶν ἔργων καθαρίζεται* et in bonam immutatur. hac significatione conscientia non nominatur bona aut mala, quarum utraque omnibus hominibus inesse potest, sed munda et immunda, quarum altera hominibus non Christianis adscribi nequit. itaque *ἡ καθαρὰ σ.* non tam summum iudicium quam summum bonum est, quod appeti et conservari necesse est.

Locis proxime explicatis adnumeranda sunt, quae legimus I Petr. 3, 21. vidimus enim in hominis conversione hoc maximum esse, quod conscientia a peccatis mundatur. conversio autem fit per baptisma; ergo per baptisma homo *τὴν καθαρὰν σ.* nanciscitur; quae conscientia mundata a St. Petro bona appellatur. itaque

baptismatis natura et vis est τελείωσις κατὰ συνείδησιν (Hebr. 9, 9), vel hominis regeneratio moralis. baptismatis autem naturam St. Petrus ep. I, cp. 3, 21 describit. postquam enim exposuit, perpaucos admodum homines tempore Noe per aquam servatos esse, ὅ, pergit, καὶ ὑμᾶς ἀντίτυπον νῦν σώζει βάπτισμα, οὐ σαρκὸς ἀπόθεσις ῥύπου, ἀλλὰ συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς θεόν, δι' ἀναστάσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ. baptismatis natura non in eo constat, quod σαρκὸς ἀπόθεσις ῥύπου nominatur, sed in eo quod σ. ἀγαθῆς ἐπερώτημα dicitur. in his verbis explicandis maximi momenti est, definire, quid sit ἐπερώτημα. elucet autem huius vocabuli significatio ex V. T. versione Alexandrina. ibi enim Dan. 2, 10. 11 verbum Chaldaicum שְׁאֵל, quod est: petiit, interrogavit, vertitur ἐπερωτᾷ. deinde Dan. 4, 14 vox Chaldaica שְׁאֵלְתָא, qua significatur: petitio, quaestio, transfertur: ἐπερώτημα. igitur ἐπερώτημα εἰς θεόν est petitio in Deum versa. homo ergo cum baptizatur, a Deo petit bonam conscientiam. conscientia redditur autem bona, ubi peccata homini remittuntur. quae remittere cum Dei sit, Deus homini dare bonam conscientiam dici potest. hanc autem a Deo petere, hominis est. ea igitur baptismatis ratio, quae ab hominis parte est, ab apostolo illis verbis designatur. cf. Weiſs, der Petrin. Lehrbegriff p. 315 sq.

Ex omnibus his locis, praeter quos in libris sacris N. T. nulli sunt, ubi conscientia commemoretur, perspicuum est, conscientiae notionem certis quidem finibus descriptam non esse, sed notionis momenta, quae vocare liceat, quasi semina dispersa esse. partes enim eius — quae tamen ex communi radice vim atque auctoritatem

assumunt — hae sunt: conscientia est hominis natura moralis, quam uniuscuiusque propriam et a sua cuiusque intellegentia dependentem laedere nefas est. conscientiae testimonium et iudicium in homine plurimum valent, quare eius auctoritatem et potestatem omni reverentia colamus oportet, nam conscientia bona summa laus est. conscientia omnes homines natura praediti sunt: cum vero conscientia religionis et fidei Christianae lumine illustratur, amplificatur, confirmatur, hominis habitum ac statum moralem universum omnemque inter Deum et hominem necessitudinem amplectitur.

Συνειδήσεως significatio principalis atque naturalis, quae omnibus reliquis subest et ex qua reliquae proficiscuntur, est scientia. ea vero, quae hac scientia ab homine percipiuntur, plura sunt. conscientia est scientia legis homini insitae, ut apud gentes; est scientia legis naturalis, quae aut lege data, ut apud Iudaeos, aut fide, ut apud Christianos, amplificatur; est scientia, qua homo habitum suum moralem percipit. haec scientia autem ea est, qua homo facta sua metiatur. cum hac scientia semper connexa invenitur obligandi vis, quae conscientiae iudicio et testimonio, maiorem, quam hominis est, auctoritatem impertit. cuius auctoritatis fundamentum in Dei voluntate esse apostoli docent, ita ut conscientia velut Dei voluntas, cuius homo in se ipse conscius fit, designetur. ut a Stoicis vita naturae conveniens, sic ab apostolis vita Dei voluntati ac fidei conveniens tanquam idea hominis descripta est. ergo cum conscientia hominis facta cum hac idea comparat et diiudicat, Dei voluntas in homine agens esse videtur. itaque omnibus locis, ubi de conscientia in sacris libris

disseritur, necessitudo inter conscientiam et Deum, sive sententia sive verbis expressis significata, subest. igitur qui conscientiam laedit, laedit Deum ipsum; qui illam colit, Dei praecepto obedit. quo fit ut ἡ συνείδησις ut sancta atque inviolabilis in hominis animo ac mente sita potestas designetur.

Si haec conscientiae notio cum illa, quam apud veteres invenimus, confertur, inter se differre videntur primum, quod veteres inde a vetustissimis temporibus multis modis conscientiae cruciatus descripserunt, in sacris autem libris conscientiae poena non tam describitur quam attingitur. quod deinde conscientia a veteribus philosophis ut hominis lex descripta et hominis dux atque paedagogus nominata est, hoc quoque conscientiae notioni in sacris libris inest quidem, sed verbis minus effertur. apud Iudaeos enim paedagogi locum tenet ὁ νόμος (Gal. 3, 24), apud Christianos autem legis vice fungitur fides (Gal. 3, 25: ἐλθούσης δὲ τῆς πίστεως οὐκέτι ὑπὸ παιδαγωγόν ἐσμεν), ex qua vita ita ordinanda est ut conscientia non laedatur (διὰ τὴν συνείδησιν). propria igitur conscientiae provincia non est, ut homini praecepta det, sed ut praecipiat, qua ratione ductum eum quidque facere oporteat. itaque conscientiae notioni apud Christianos maxime id subest, quod nominamus: Gesinnung. hoc in caussis fuisse videtur, cur St. Paulus apostolus inprimis hac notione usus est, quippe qui magis quam ceteri apostoli Iudaeorum opinionem, sufficere, si quod legis litteris praeceptum esset facerent, impugnaret.

Cum tot locis librorum N. T. conscientiae notionis mentio fiat, consentaneum est, etiam in scriptis Christianae antiquitatis eam saepe usurpari. ex magno locorum numero, ne longi simus, illi tantum commemorentur, ubi conscientiae notio vim aliquam prae se ferre videtur insignem.

Inter patres Graecos, qui nominantur, primum notandus est Clemens Alexandrinus, qui versum I Tim. 1, 19 afferens Strom. II, 6 (p. 160 ed. Sylb.) sic interpretatur: *ὅτι τὴν θεόθεν ἥκουσαν συνείδησιν ἀπιστίᾳ κατεμίηναν.* quae interpretatio ostendit, Clementem censuisse, *τὴν συνείδησιν* hominis Christiani habitum moralem, a Deo ei datum, significare, quem rectum habitum etiam vocabulo *εὐσυνειδησίας* exprimit. Str. VI, 14: *αὕτη δὲ,* inquit, *ἡ εὐσυνειδησία τὸ ὅσιον τὸ πρὸς τὸν Θεὸν καὶ τὸ πρὸς τοὺς ἀνθρώπους δίκαιον διασώζει, καθαρὰν τὴν ψυχὴν φυλάττουσα ... οὕτως δύναμιν λαβοῦσα κυριακὴν ἡ ψυχὴ μελετᾷ εἶναι θεός.* homo eiusmodi habitu praeditus nominatur *εὐσυνείδητος* (cf. VII, 7). *εὐσυνειδήτως βιοῦν* est vita perfecta Christiani; quae vita fidem et *γνῶσιν,* quarum una est fundamentum, altera argumentum, sequitur (*ἕπεται* — cit. VII, 13, p. 318 — *γὰρ τὰ ἔργα τῇ γνώσει, ὡς τῷ σώματι ἡ σκιά*).

Origines, Clementis discipulus, de conscientiae natura certam et definitam sententiam profert in Comment. in Epist. ad Rom., qui commentarius a Rufino in Latinam linguam versus exstat, ad II, 15 (Orig. opera, ed. De la Rue t. IV, p. 486): „lex in cordibus scripta — sciendum est, rationalem animae virtutem cor solere nominari, atqui testimonio sanae conscientiae uti apostolus dicit eos, qui descriptam continent in cordibus legem, unde necessarium videtur, discutere, quid istud sit, quod apostolus *conscientiam* vocat: utrum alia sit aliqua substantia, quam cor vel anima. haec enim conscientia et alibi dicitur, quia reprehendat, non reprehendatur, et iudicet hominem, non ipsa iudicetur, sicut ait Ioannes (ep. I, 3, 21): si conscientia nostra non reprehendat, nos fiduciam habemus ad Deum; et iterum Paul. (II Cor. 1, 12): gloriatio nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae. qui ergo tantam vides eius libertatem, quae in bonis quidem gestis gaudeat semper et exsultet, in malis vero non arguatur, sed ipsam animam, cui cohaeret, arguat, arbitror, *quod ipse sit spiritus*, qui ab apostolo esse cum anima dicitur, secundum quod in superioribus edocuimus, velut paedagogus ei quidem sociatus et rector, ut eam de melioribus moneat, vel de culpis castiget et arguat, de quo et dicit apostolus (I Cor. 2, 11): „„quia nemo ait hominum, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est"", et ipse sit conscientiae spiritus, de quo dicit: „„ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro."" ... si vero inobediens ei anima et contumax fuerit, dividetur ab eo post casum et separabitur. et propter hoc puto dictum esse in evangelio de malo

vilico, quia dividet eum Dominus et partem eius cum infidelibus ponet ..." dividit autem Origines hominem in partes tres, quae sunt: spiritus, hominis pars melior, quam Stoicorum more saepius ἡγεμονικόν vocat; caro, hominis pars materialis; et anima, quae est medium quiddam inter spiritum et carnem. animam hominis Origenes docet, Comm. in Iob. XXXII, 11 (ad 13, 21) — t. IV, p. 432 —, virtutis et vitii capacem esse, spiritum vero hominis, qui in eo sit, mala recipere minime posse (ἀνεπίδεκτον τῶν χειρόνων τὸ πνεῦμα τοῦ ἀνθρώπου ἐν αὐτῷ). ex his perspicuum est, ***praestantissimam hominis partem, τὸ πνεῦμα, ab Origine conscientiam vocari.*** Originem in libris, qui perierunt, de conscientia saepius disseruisse, ex iis, quae infra afferemus, intellegitur.

Basilius, qui Graecorum philosophiae multum vacaverat, iudicium ad diiudicanda honesta et turpia natura nobis inesse docet, quod iudicium hominis menti (τῷ νῷ) attribuit. Princip. Proverb. 9 (opp. ed. Granier II, p. 106): ... *ἐπειδή τι ἔχομεν παρ᾽ ἑαυτοῖς κριτήριον φυσικόν, δι᾽ οὗ τὰ κατὰ τῶν πονηρῶν διακρίνομεν, ἀναγκαῖον ἡμῖν ἐν τῇ ἐκλογῇ τῶν πρακτέων ὀρθὰς ποιεῖσθαι τῶν πραγμάτων τὰς διακρίσεις, καὶ οἷόν τινα δικαστὴν ἴσῃ καὶ δικαιοτάτῃ γνώμῃ τοῖς ἐναντίοις βραβεύοντα, πείθεσθαι μὲν τῇ ἀρετῇ, καταδικάζειν δὲ τὴν κακίαν ... ὑψηλὸς προκαθέζεταί σου ὁ νοῦς πεπιστευμένος τὸ δικαστήριον.* quibus verbis Basilium agere de conscientia, quamquam censuerunt Scholastici, non arbitror. namque *συνειδήσεως* voci aliam significationem tribuit. postquam enim a fidelibus rogatus, ut doctrinam de Trinitate ad ipsorum animos placandos e sacris libris pro-

baret, nonnulla argumenta collegit, fidelibus scribit: *ὀλίγα ἐκ πάντων παραθέμενοι ἀρκεῖν ἡγούμεθα καὶ ταῦτα τῇ ὑμετέρῃ συνειδήσει.*

Gregorius Nanz. (opp. ed. Colon. 1690. t. II, p. 223) *τὸ συνειδὸς ἄγραφον κατήγορον* vocat.

Permulta de conscientia disseruit Ioannes Chrysostomus, qui tamen, ut oratoris mos est, non tam, quid per se sit, quam partes ac munera eius et effectus describit. modi enim, quibus Chrysostomus hac notione utitur, distingui possunt tres. primum conscientiam ut legem nobis insitam et magistri munere fungentem designat. Homil. 52 in Genes. (opp. ed. Montfaucon t. IV, p. 512): ... *εἶδες οὔτε τὴν ἀπὸ τοῦ νόμου διδασκαλίαν ἔχων ὁ δίκαιος οὗτος, οὔτε πρὸς ἕτερόν τινα ἰδεῖν ἔχων, ἀλλὰ τῷ πατρὶ κατακολουθήσας, καὶ ἀπὸ τοῦ τῇ φύσει τῇ ἀνθρωπίνῃ ἐγκειμένου τῷ συνειδότι διδασκάλου ὁδηγούμενος, τοιαύτην φιλοσοφίαν ἀπεδείκνυτο κτλ.* Hom. 54 (t. IV, p. 522): ... *μηδεὶς προφασιζέσθω ὡς δι' ἄγνοιαν ἀμελῶν ἢ διὰ τὸ μὴ ἔχειν τὸν ἐπιδεικνύντα τὴν ταύτης (τῆς ἀρετῆς) ὁδόν. ἀρκοῦντα γὰρ ἔχομεν διδάσκαλον τὸ συνειδός, καὶ οὐχ' οἷόν τέ τινα ἀπεστερῆσθαι τῆς ἐκεῖθεν βοηθείας. καὶ γὰρ ἅμα τῇ πλάσει τοῦ ἀνθρώπου καὶ ἡ γνῶσις τῶν πρακτέων αὐτῷ ἐναπετέθη κτλ.* Sermo de Anna 1, 3 (t. IV, p. 703): ... *εἷς μὲν οὖν θεογνωσίας τρόπος, ὁ διὰ τῆς κτίσεως ἁπάσης. ἕτερος δὲ οὐκ ἐλάττων, ὁ τοῦ συνειδότος, ὃν καὶ τοῦτον ἅπαντα τότε διὰ πλειόνων ἐξεθέμεθα λόγων* (quam expositionem infra afferemus), *δεικνύντες πῶς αὐτοδίδακτος ἡμῖν ἐστι ἡ τῶν καλῶν καὶ τῶν οὐ τοιούτων γνῶσις, καὶ πῶς ἔνδοθεν ἡμῖν τὸ συνειδὸς ἅπαντα ἐνηχεῖ ταῦτα. δύο γὰρ οὗτοι διδάσκαλοι γεγό-*

νασιν ἡμῖν ἐξ ἀρχῆς, ἡ κτίσις καὶ τὸ συνειδός· καὶ οὐδέτερος αὐτῶν φωνὴν ἀφιείς, σιγῇ τοὺς ἀνθρώπους ἐπαίδευον, ἥτε γὰρ κτίσις διὰ τῆς ὄψεως ... τὸ δὲ συνειδὸς ἔνδον ἐνηχοῦν, ἅπαντα ὑποβάλλει τὰ πρακτέα.

Altera conscientiae significatio apud Chrysostomum ea est, qua conscientia ut factorum scientia notatur. huc spectant omnes loci, ubi Chrysostomus de perscrutanda conscientia loquitur. Hom. 11 in Genes. (l. l. p. 84): *διερευνᾶσθαι τὴν ἑαυτῶν συνείδησιν καὶ τὸν λογισμὸν βασανίζειν κτλ.* cf. t. II, p. 665; t. V, 18, 19, 589; t. X, 250. huic significationi illa adiungi potest, qua conscientia ut animi habitus notatur. Serm. de Anna 5, 1 (t. IV, 740): *ὁ μὲν ἐν δικαιοσύνῃ ζῶν καὶ κατορθώμασι κἂν μὴ παρούσης ἑορτῆς, ἑορτὴν ἄγει, τὴν καθαρὰν ἡδονὴν καρπούμενος τὴν ἀπὸ τοῦ συνειδότος ... ὥστε ἔξεστι ἡμῖν, ἂν ἐθέλωμεν, καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν ἑορτὴν ἄγειν, ἂν ἀρετῆς ἐπιμελώμεθα καὶ τὸ συνειδὸς ἡμῶν ἐκκαθαίρωμεν.*

Saepissime denique Chrysostomus conscientiae notionem usurpat ad significandam vim moralem, quae de hominis factis iudicat, honesta laudat, turpia autem vituperat et punit. quam vim multis nominibus notavit et similitudinibus descripsit. et hujus et prioris generis exempla ex Chrysostomi scriptis desumpta collegit permulta I. C. Suicer in Thes. ecclesiast. t. II, p. 1151 sq. quibus testimoniis duo adiciamus, quod magis quam alia naturam, quam Chrysostomus conscientiae tribuisse videtur, designant. Hom. 17 in Genes. (t. IV, p. 134), ubi, quod Gen. cp. 3 traditum est, homines Domino appropinquante se occultasse, explanat, haec habet: *ἐπεισῆλθε γὰρ ἡ ἁμαρτία καὶ ἡ παράβασις καὶ κατε-*

σκεδάσθῃ αὐτοῖς ἡ αἰσχύνη. ὁ γὰρ ἀδέκαστος δικαστής, τὸ συνειδὸς λέγω, κατεξανιστάμενος λαμπρᾷ τῇ φωνῇ ἐβόα, καὶ ἐκατηγόρει καὶ ἐδείκνυ, καὶ ὡσανεὶ πρὸ τῶν ὀφθαλμῶν ὑπέγραφεν αὐτοῖς τῶν ἁμαρτημάτων τὸ μέγεθος. διὰ τοῦτο γὰρ ὁ φιλάνθρωπος Δεσπότης ἄνωθεν καὶ ἐκ προιμίων διαπλάττων τὸν ἄνθρωπον, τὸ συνειδὸς αὐτῷ ἐνέθετο κατήγορον ἀδιάλειπτον, παραλογισθῆναι μὴ δυνάμενον, μηδὲ ἀπάτην ὑπομεῖναί ποτε. ἀλλὰ κἂν πάντας ἀνθρώπους λαθεῖν τις δυνηθείη τὴν ἁμαρτίαν ἐργασάμενος καὶ τὸν ἄτοπον πρᾶξιν ἐπιτελέσας, τόν κατήγορον λαθεῖν οὐ δύναται, ἀλλὰ περιέρχεται διηνεκῶς αὐτὸν ἔνδον ἔχων ἐνοχλοῦντα, καταξαίνοντα, μαστίζοντα, οὐδέποτε ἠρεμοῦντα, ἀλλὰ καὶ ἐν οἰκίᾳ καὶ ἐν ἀγορᾷ καὶ ἐν συλλόγοις καὶ ἐν τραπέζῃ, καὶ καθεύδοντι καὶ διανισταμένῳ ἐπιτιθέμενον, καὶ δικὴν ἀπαιτοῦντα τῶν πεπλημμελημένων ... τοῦτο γὰρ αὐτοῦ ἔργον, ἀδιάλειπτον ὑπόμνησιν εἰσάγειν καὶ μὴ συγχωρεῖν αὐτῷ λήθην ποτὲ ποιήσασθαι τῶν εἰργασμένων, ἀλλ᾽ ὑπ᾽ ὄψιν αὐτῷ τιθέναι. Homil. 5 in Genes. (t. IV, 34): καὶ τοῦτο δὲ τῆς τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπίας, ἣν περὶ τὸ ἀνθρώπων γένος ἐπεδείξατο, τῷ ἑκάστῳ ἡμῶν ἐπιθεῖναι κριτήριον ἀδέκαστον τὸ συνειδός, ἔχον ἀκριβῆ τὴν διάγνωσιν τῶν καλῶν καὶ τῶν οὐ τοιούτων. ὃ δὴ μάλιστα καὶ πάσης ἡμᾶς ἀπολογίας ἀποστερῆσαι δυνήσεται, οὐ δι᾽ ἄγνοιαν προσπταίοντας τοῖς ἁμαρτήμασιν, ἀλλὰ διὰ ῥαθυμίαν ψυχῆς καὶ ἀμελείαν τῆς ἀρετῆς. cf. t. I, p. 757; V. 448.

Itaque omnes conscientiae significationes, quas adhuc cognovimus, Chrysostomus .in usum vocavit. est enim in scriptis eius conscientia modo dux vitae et norma vivendi, modo scientia ac memoria factorum

nostrorum, modo animi habitus, denique moralis vis atque potestas homini innata.

Ex patribus Latinis Augustinum producere sufficiat, cum omnium sit praestantissimus, atque cum conscientiae notio, quae in eius scriptis invenitur, eiusmodi esse videatur, ut ad eam concipiendam adversariorum caussa non parum valuisse appareat. usus igitur conscientiae vocis apud Agustinum statui potest duplex. primum enim illa notione Augustinus eo modo utitur, quo ea usi sunt veteres Romani, ut sit scientia factorum et vis moralis ex illa proficiscens; id quod paucis probemus. Enarrat. in Ps. 34 (Aug. opp. ed. Col. Agr. 1616, t. VIII, p. 92): „quod alienum est", inquit, „ab opere, alienum est a *conscientia;* quod alienum est a *conscientia*, alienum esse videtur a scientia", in Ps. 66 (cit. p. 247): „inanis *conscientia,* quae merita non collegit." haec conscientia, prout facta sunt, modo ut praemium, plerumque autem ut poena describitur. Enarr. in Ps. 53 (cit. p. 187): „quomodo magna est poena impiorum *conscientia,* sic magnum gaudium piorum ipsa *conscientia.*" contra literas Petiliani Donat. 3, 7 (cit. VII, 115): „si autem non aurem solam percutit iracundia criminantis, verum etiam *conscientiam* mordet veritas criminis, quid mihi prodest, si me continuis laudibus totus mundus attollat? ita nec malam *conscientiam* sanat praeconium laudantis, nec bonam vulnerat conviciantis opprobrium. Enarr. in Ps. 36 (cit. t. VIII, p. 104): „ipse est enim poena sua, quem torquet *conscientia* sua. fugit ab inimico quo potuerit, a se quo fugiet?" conscientiam malam Augustinus cum

muliere rixosa comparat, propter quam maritus domum redire timet. „quanto“, inquit En. in Ps. 31 (t. VIII, p. 85), „sunt miseriores, quam illi mariti, qui ad *conscientiam* redire nolunt, ne ibi litibus peccatorum evertantur.“ cf. En. in Ps. 35 (t. VIII, p. 96). Deinde Augustinus conscientiae notione ita utitur, ut ab illa, quam in Epist. ad Hebraeos invenimus, prope absit. saepe enim illa voce totam hominis naturam moralem comprehendit. En. in Ps. 45 (t. VIII, p. 151): „ut lignum, cuius medulla est putrefacta, nihil valet ad aedificandum, ita et homo nihil valet *conscientiae* malae: porro hominis interius conscientia non invenitur.“ itaque cum in homine nihil interius sit, quam conscientia, nemo nisi Deus eam cognoscit. de Or. cp. 9 (t. IX, p. 252): „*conscientia* tua coram Deo est, conversatio tua coram fratre tuo.“ cp. 14 (cit. p. 255) pluribus disserit Augustinus, conscientiam esse interiorem hominis naturam et partem, in qua homo contemplationi vacans quiescere, et quo nemo nisi Deus intrare possit. Sent. 188 (t. III, 378): „nullae poenae graviores sunt, quam malae *conscientiae*, in qua cum non habitet Deus, consolatio non invenitur.“ conscientia in his locis est universus hominis status moralis et natura, quae delictis maculatur et in peius vertitur, Dei vero indulgentia et benevolentia mundatur. En. in Ps. 45 (t. VIII, p. 51): „iniquorum enim *conscientias* non sanat nisi indulgentia.“ haec conscientiae significatio etiam illis locis subest, ubi Augustinus Donatistarum sententiam, in administrandis sacris „conscientiam dantis abluere conscientiam accipientis“, impugnat. contra Crescov. grammat. II, cp. 17 (cf. contr. Lit. Pet. II, 3), ubi longiore disputatione

hanc quaestionem tractat, conscientiae voce semper utitur, ut hominis statum moralem, qui mundus et immundus esse potest, significet. igitur ubique apud Augustinum conscientia cum hominis factis non aliter coniuncta esse dicitur nisi consecutionis ratione — nam factis succedit conscientia bona aut mala —, vel hominis status esse; nunquam autem ut condicio factorum aut impulsus ad bene faciendum designatur. omnis enim impulsus ad virtutem ex Augustini doctrina in Deo est, non in hominis natura. quam doctrinam cum contra Pelagianos omni contentione defenderet, fieri potuit, ut conscientiae munera arctioribus finibus circumscriberet. haud raro quidem Augustinus de iustitiae regulis immutabilibus loquitur, quae „in cor hominis non migrando sed tanquam imprimendo ex veritate transferuntur, sicut imago ex anulo et in ceram transit, et anulum non relinquit“ (Trinit. XIV, 21), sed cum conscientia eas coniunctas esse non dicit.

At Pelagius contra Augustinum contendit, homines natura ita praeditos esse, ut honesta et turpia diiudicare atque illa eligere, haec autem reicere possint. rem ita se habere etiam animae nostrae secreta testari. Epist. ad Demetr. cp. 4 (Augustini opp. ed. Bened. Antw. 1700, t. II, append. p. 5): „ferat“, inquit Pelagius, „sententiam de naturae bono ipsa *conscientia;* instruamur domestico magisterio animi: et mentis bona non aliunde magis quaeque, quam ab ipsa mente discamus. quid illud, obsecro, est, quod ad omne peccatum aut erubescimus aut timemus, et culpam facti nunc rubore cultus, nunc pallore monstramus, ac trepidante animo etiam in minimis delictis testem effugimus, *con-*

scientia remordemur, ex diverso autem in omni bono laeti ..., nisi quod testimonio sibi est ipsa natura, quae hoc ipso declarat bonum suum, quo ei malum displicet, et dum in bono tantum opere confidit, quid solum eam deceat, ostendit?" descriptis conscientiae cruciatibus et laetitiis Pelagius pergit: „est enim, inquam, in animis nostris naturalis quaedam, ut ita dicam, sanctitas, quae velut in arce animi praesidens exercet mali bonique iudicium; et ut rectis bonisque actibus favet, ita sinistra opera condemnat. atque ad *conscientiae* testimonium diversas partes domestica quadam lege diiudicat. nec ullo prorsus ingenio aut fucato aliquo argumentorum colore decipit: ipsis nos cogitationibus fidelissimis et integerrimis sane testibus aut arguit aut defendit."

Pelagius ergo docet conscientiam esse naturae bonum et vim, quae hominem honesta doceat, facta eius testetur, accuset aut defendat, quae denique iudicet. patet autem hoc loco, conscientiam ad hominis naturam pertinere homines sentire, ita ut, quo plures quisque huic naturae tribuat vires, eo pluris aestimet conscientiam.

Ex illis temporibus, quae philosophiam Scholasticam, quam vocant, antecesserunt, duo librorum genera hic commemoranda sunt, quorum prioris generis sunt sententiarum collectiones, videlicet: Ioann. Damasceni, Ioann. Stobaei, Maximi monachi, Antonii Melissae, Isidori Hispalensis. in his libris, quorum partes tituli nominari solent, minimum unus vel duo tituli sententias continent, quae illis hominibus ad conscientiam pertinere videbantur.

ex quibus sententiis cum eas, quae ad nostram quaestionem re vera spectant, supra (p. 20. 21. 33) attulerimus, reliquae omittendae sunt, cum notionem conscientiae non attingant.

Alterius generis sunt Libri Poenitentiales, qui vocantur, sive canonum poenitentialium collectiones, in quibus tamen conscientiae notionis admodum raro mentio fit. Theodori Poenitentiale IX, 4 (Wasserschleben, die Bufsordnungen der abendländischen Kirche, p. 194) haec habet: „Si quis presbyter aut diaconus uxorem extraneam duxerit, in *conscientia* populi deponatur.“ cf. Canones Gregorii, c. 120 (l. l. p. 173); Poenitent. Pseudo-Egberti c. 52 (l. l. p. 339). Canones Addamari vel Addominari c. 10 (l. l. p. 120): „Intinctum a vacca sana *conscientia* sumendum; ut si quis enim intinctione vaccae excommunicemus et vitulo promulgenti gustatum lac non respuimus, sed tamen propter infirmas fratrum *conscientias*, non propter immunditias, coquendum est, et tunc ab omnibus suscipiendum.“ in quibus verbis quamquam nonnulla corrupta esse nemo non videt, tamen quid conscientiae notio sibi velit, apparet. ibidem can. 12: „Intinctum vero a corvo nulla coctione mundari potest propter nostram *conscientiam* dubiam. quis enim nostrum scit, quas inlicitas carnes prius comederat, quam intinxerit?“ igitur Addominarus, qui in insula quadam Scotiae abbas fuit et a. 704 p. Ch. n. mortuus est, conscientiae notionem similiter ac Paulus apostolus in I. ep. ad Corinth. tractat.

Accuratius de conscientiae notione in illis libris agitur, qui Summae vocantur et canonum collectionibus similes sunt, cum praecepta a confessariis observanda

contineant. Summas dico Astesanam et Angelicam, quas describit et quarum de conscientia sententias refert Stäudlinus, Geschichte der Lehre vom Gewissen, p. 63. 70 — ipse quidem illos libros, cum in bibliotheca regia exstare negarentur, inspicere non potui —. Summae igitur Astesanae de conscientia doctrina teste Staeudlino haec est: conscientiam semper obligandi vim continere, sive recta sit, sive non recta. rectam conscientiam legi divinae scriptae se subicere; ergo omnia, quae homo ex recta conscientia faciat, honesta esse. sed et conscientiam non rectam hominem sequi debere; quamvis enim eiusmodi facta non sint honesta, tamen contra conscientiam agere semper esse peccatum. itaque legis auctoritate praedita esse conscientia in illo libro ducitur.

Expressius haec necessitudo inter legem naturalem et conscientiam designatur in Summa Angelica (l. l. p. 70), quae docet, legem naturalem imperare aut vetare; rationis autem iudicium hoc legis praeceptum ad actionem applicare. ergo hic conscientiae actio syllogismi forma describitur, id quod in Scholasticorum doctrina fieri solet. quod deinde illa Summa docet, priusquam conscientiae praeceptum, conclusionis forma prolatum, agendo perficiatur, ut conscientiae scintilla accedat oportere, quae voluntatem ad agendum impellat, et synderesis vocetur: quid de hac notione, quae illis temporibus cum notione conscientiae coniungitur, statuendum sit, alio loco huius vocis significationibus collectis dicemus.

Omnia, quae in his Summis de conscientia proferuntur, copiosius in Scholasticorum scriptis tractantur,

ad quae iam transimus. Quamvis a Rittero (Geschichte der Philosophie VII, p. 502) probetur, sequentibus demum saeculis et minus recte Scholasticos et Mysticos quasi diversam doctrinam sequentes inter se separatos esse, tamen in nostra quaestione eorum doctrinam confundere non licet, cum iisdem principiis usi alias illius notionis partes hi, alias alteri amplificaverint. utriusque autem generis praestantiorum tantum virorum de conscientia doctrinam referemus, cum reliquorum sententiae fere eodem redeant. cum vero Scholastici omnia quae de quaque re sentiunt, certis formulis exprimere soleant, verba ipsa, quibus eorum de conscientia doctrina expressa est, adscribi oportet, ne cum verbis immutemus sententias.

Albertus Magnus duobus scriptorum suorum locis doctrinam de conscientia exponit, in Summa theologiae, et in Summa de creaturis. priore loco (Opp. ed. Lugd. 1651, t. XVII et XVIII), p. II, quaest. 99, quae agit „de voluntate et annexis", haec tria membra comprehendit: „I. de voluntate; II. de synderesi; III. de conscientia." de synderesi Albertus haec disputat. propositis tribus quaestionibus, „quid sit synderesis; utrum contingat, eam aliquando peccare, et utrum in toto possit extingui vel non", primum affert rationes, quae probent, synderesim esse potentiam:

1. „Quod interpretes", inquit, „qui Ez. 1 faciem aquilae synderesim declarant. cum alia, quae sub hominis facie et leonis et bovis intelligunt, iuxta Platonem, rationabilitas, irascibilitas et concupiscibilitas sint potentiae, ergo et quartum, synderesis est potentia."

2. „Quod Hieronymus putat, prophetam Mal. 2,

dicentem: custodite spiritum vestrum et uxorem adolescentiae vestrae nolite despicere; intelligere sub uxore legem naturalem scriptam in corde et in spiritu; et quod secundum Paul. Rm. 8 spiritus rationalis pars in nobis esse videatur, qua homo inclinatur in Deum, cui sicut viro coniungitur lex naturalis a principio vitae et inclinat ad ea quae Dei sunt et quae sunt secundum naturam: sed illa non est alia potentia quam synderesis."

3. „Synderesis et sensualitas ex opposito dividuntur in partibus animae: quia sensualitas semper instigat ad malum, et synderesis semper ad bonum. sed sensualitas est potentia, ergo et synderesis."

Quibus rationibus Albertus opponit contrarias:

1. „Augustinus lib. de bapt. parvul. 25 dicit: si rationem ipsam, quae adhuc velut quieta et quasi sopita in parvulis latet, tamen inserta et quodammodo inseminata, illuminationem voluit appellare, tanquam interioris oculi creationem, non resistendum est, tunc eam fieri, cum anima creatur, et cum homo venit in mundum. illud lumen cum semper illuminet ad bonum, non videtur aliud esse, quam synderesis: et illud lumen est habitus et non potentia, ergo ct."

2. „In intelligibilibus sive contemplativis philosophi posuerunt lumen semper incendens ad verum, quod est intellectus agens, qui, sicut Aristoteles dicit in 3. de anim. (cf. supra p. 16), est in anima sicut lux, quae repugnat falso et illuminat ad verum. cum autem hoc magis necessarium sit in practicis quam in speculativis: ad perfectionem animae rationalis pertinet, quod in operabilibus sive practicis sit lumen inclinans semper

in bonum et remurmurans malo: hoc autem lumen non potest esse nisi synderesis; quia directe habet actum synd., et lumen est habitus et non potentia: ergo ct."

3. „Obiiciunt quidam logice sic: synd. et fomes ex opposito dividuntur: quia fomes semper instigat ad malum, synd. semper ad bonum; fomes est habitus: ergo ct."

4. „Synderesis et prohaeresis ex opposito se habent: prohaeresis enim est habitus deliberativus, ut dicit philosophus in 1. ethic.; prohaeresis est habitus: ergo ct."

Solutio: „Ad hoc quidem valde leviter solvunt et bene, dicentes, quod ***synderesis dicit potentiam cum habitu completam***."

„Sed ex ista determinatione sequitur maior difficultas. si enim dicit potentiam, tunc quaeritur, quam potentiam? et videtur, quod rationem:

1. „quia dicitur scintilla rationis."

2. „Greg. super illud Iob I: „evasi ego solus, ut nuntiarem tibi", dicit: unus qui evasit, rationis est discretio, quae ad animum redit et quae admissa nuntiat, ut quod praeoccupata mens perdidit afflicta recuperet. ille autem unus synderesis est, ut dicunt Sancti: ergo synd. est aliquid rationis."

3. „Aug. de bapt. parv. I, 25 ratio insita sive inseminata lumen animae dicitur. hoc autem lumen dicitur synd.: ergo synd. est ratio."

4. „Super illud Luc. 10. „abierunt semivivo relicto" dicit glossa: immortalitatem exuere poterant, sed rationis sensum abolere non possunt quin homo sapere et Deum possit cognoscere. sed hoc rationis lumen est synd.: ergo synd. est ratio vel aliquid rationis."

5. „Augustinus de lib. arbitr. 3: ante omne meritum boni operis non est parvum, accepisse naturale iudicativum, quo sapientiam praeponat errori, quieti difficultatem. illud autem ratio est et synd.: ergo ct.“

6. „Basilius dicit, quod lex naturalis scripta est in naturali iudicatorio. iudicatorium autem ratio est, lex naturalis scripta est in synder., qui secundum illam semper agit ad bonum. ergo videtur ct.“

„Ulterius quaeritur, utrum sit voluntas? et videtur quod sic: quia voluntas est duplex: naturalis et deliberativa: et dictum est, quod naturalis semper tendit ad hoc, quod amat: amat autem hoc, quod secundum naturam est: sicut odisse et remurmurare malo, et amare et appetere bonum divinum: quia dicit Damasc., quod peccatum est recessio ab eo quod secundum naturam est in id quod contra naturam est. cum autem hoc sit synd. et cuiuscunque est actus, eius etiam est potentia, ut dicit philosophus; videtur, quod *synderesis* nihil aliud sit, quam *voluntas rationalis appetens bonum et dissentiens a malo.*“

„Solutio: ratio duplex est in animo, ratio contemplativa et practica. secundum Platonem ratio est vis animae ordinans de agendis et non agendis. cum ergo quaeritur, si *synderesis* sit aliquid rationis? dicendum, quod sit *rationis practicae*, quae est ordinatio de agendis: illius enim *scintilla*, *semper inclinans ad bonum et remurmurans malo* ... sed nihil est rationis speculativae ... voluntas est duplex, naturalis scil. et deliberativa, et concedendum est, quod non est sine voluntate naturali, sed nihil est voluntatis deliberativae.“

Alteram quaestionem, „utrum contingat, synderesim

aliquando peccare", Albertus, rationibus in utramque partem more consueto prolatis, solvit hoc modo: „***Synderesi proprium est, non peccare secundum se:*** tamen habet duas comparationes: unam ad superius, et secundum hanc nunquam peccat; alteram quae est ad inferius, quod regit, hoc est ad liberum arbitrium, ad rationem et ad voluntatem, extra quas et supra quas est, ut dicit Gregorius, et secundum hunc modum praecipitatur per accidens, sicut miles cadente equo, qui casus .. non refertur ad militem, nisi qui non tenuit (sc. equum) per fraenum, ne cespitaret, ita aliquando imputatur synderesi peccatum rationis, voluntatis et liberi arbitrii, quia non tenuit, ne caderet."

Ad tertiam quaestionem, „utrum contingat, synderesin in toto extingui vel non", multis huc et illuc disputatis, respondet: „Dicendum est, ***quod scintilla conscientiae in nullo nec viatore nec damnato extinguitur in toto:*** sed actus eius duplex est, scil. inclinatio ad bonum et murmuratio contra malum. quantnm ad inclinationem ad bonum, in damnatis extinguitur; quantum ad remurmurationem malo, habet duplicem actum, scil. remurmurare malo, quia malum, et hunc amittit in damnatis; et remurmurare malo in comparatione ad poenam, quae sentitur ex peccato et hunc nunquam amittit ... semper enim vellent non commisisse hoc malum, propter quod ita cruciantur."

Eodem modo agit Albertus de conscientia. testimoniis contra opinionem, conscientiam esse potentiam, deinde contrariis allatis, concludit: conscientiam esse habitum. quod vero iterum quaeritur „utrum habitus cognitionis vel motivus", resolvit sic: „***Conscientia***

dupliciter accipitur, scil. materialiter, et sic ponitur pro eo, *quod scitum est* in anima vel *scibile:* et hoc nec potentia nec habitus sed scitum. aliquando accipitur formaliter, pro *scientia* scilicet, quae refertur ad scitum, licet non sub eodem casu, quo refertur scibile ad scientiam, ut dicit Aristot. in praedicam, quia scientia dicitur scibilis scientia: scibile autem non dicitur scientiae scibile, sed *scientia scibile*, et si sic accipitur pro scibili, tunc nec potentia nec habitus, sicut scibile, nec est sciens, nec scientia. si autem accipitur formaliter, tunc pro certo habitus est, et dicit habitum in potentia vel potentiam habitualem ..."

„... dicendum est, *quod conscientia dupliciter consideratur*, scil. in *principiis regulantibus conscientiam*, quae sunt principia universalia: et haec innata sunt nobis ... potest enim considerari in *scitis his et illis*, et sic habitus est acquisitus, et convenit ei aliquando inesse et aliquando non inesse."

„Lex naturalis habitus est innatus nobis, quantum ad universalia principia regulantia in bonum ... unde lex mentis naturalis est, in quantum ad principia, acquisitus, quantum ad scita."

„*Conscientia est habitus cognitivus et motivus*, sicut intellectus practicus. lex naturalis per cognitionem dirigit motivam partem."

Quaeritur deinde, „utrum conscientia idem sit, quod synderesis?" Albertus respondet: „*Synderesis non est conscientia*, quod synderesis est quaedam potentia animae, conscientia autem est habitus ... per respectum ad superius attingit habitum legis naturalis, quae regens est ... et sic dicitur scintilla conscientiae, et commu-

nicat in aliquo cum synderesi conscientia. cum autem de conscientia munda vel immunda loquamur, non habet convenientiam cum synderesi."

Denique exponit Albertus, quid lex naturalis et conscientia inter se differant. „*Lex naturalis*", inquit, „***et conscientia differunt per essentiam, sed conveniunt in ordine ad idem***, sicut in syllogismis principium et illata conclusio. lex enim naturalis principium est, quo agitur conscientia, sub quo principio ratio assumit de hoc et de illo: et conscientia concludit de faciendo vel non faciendo." haec definitio totam de synderesi et conscientia disputationem concludit.

Eadem fere repetit Albertus in Summa de creaturis p. II (de homine), quaest. 69 (opp. t. XIX, p. 320 ss). adiciuntur autem ad priora haec. „Synderesis secundum suum nomen sonat haesionem quandam per scientiam boni et mali: componitur enim ex Graeca praepositione syn et haeresis, quod idem est quod opinio vel scientia haerens in aliquo per rationem ... Videtur, ***quod synderesis sit quoddam coniunctum omnibus viribus superioribus animae.*** cum enim homo per peccatum corruptus fuit in naturalibus, non adeo fuit corruptus, quod nihil remaneret integrum. ergo in singulis viribus manet aliquid rectum, quod in iudicando et appetendo concordat rectitudini primae, in qua creatus est homo ... cum ergo hoc sit officium synderesis in homine, ***synderesis est rectitudo manens in singulis viribus concordans rectitudini primae.***" l. l. p. 323: „Quare philosophi non fecerunt mentionem de synderesi? quod philosophi distinguunt potentias secundum obiecta generalia: et si considerant generalia, faciunt hoc secundum

rationem iuris humani, non autem .. secundum rationem iuris divini ... ideo sancti ponunt synderesim ad principia et portionem superiorem rationis, quae inhaerescit iustitiae divinae contemplandae secundum rationes aeternas, quarum neutrum ponunt philosophi."

Quid per se sit conscientia, cum Albertus non dicat, ex iis colligendum est, quae de ea praedicantur. synderesis munera sunt: ad bonum illuminare, instigare, agere, in bonum inclinare, malo remurmurare, rationem voluntatem et liberum arbitrium regere: itaque synderesis id agit, ut bonum cognoscat et ad bonum adducat. ad hoc autem efficiendum ideo apta est, quia legem naturalem in se positam habet. quae lex vocatur lumen „in operabilibus." sed etiam in „spiritu" lex naturalis scripta esse dicitur ab Alberto. spiritus autem est „rationalis in nobis pars", qua „homo inclinatur ad Deum." ergo synderesis et spiritus idem esse videntur. itaque, quod St. Paulus apostolus Rm. 2, 15 homines *τὰ ἔργα τοῦ νόμου φύσει ποιεῖν* dicit, cum hac natura Alberti synderesis congruere videtur. cum autem Albertus doceat, synderesim Aristotelis intellectui practico respondere, synderesis notionem latiorem esse, quam illam *φύσιν,* apparet; cum denique synderesis quasi pars superior reliquas animae partes veluti eques regere, et integrum ac rectum quiddam esse dicatur, quod omnibus animae viribus superioribus adiunctum sit, elucet, synderesim eam animae partem esse, quae Deo maxime est cognata, sed ita hominis propria, ut nunquam exstingui possit.

Conscientiae notionem duplicem esse Albertus docet. primum enim eam significare res, quas conscientia am-

plectitur; tum eam esse scientiam vel facultatem, qua has res comprehendimus. priorem notionem iterum dupliciter cogitari posse. si enim „principia regulantia“ nobis innata ut „scitum“ conscientia contineri cogitemus, conscientiam esse innatam et cum synderesi congruere; si vero praecepta quae nobis tradantur, illud scitum vel illam conscientiam esse acquisitam. alterius i. e. formalis conscientiae notionis expositio apud Albertum desideratur.

Similiter atque Albertus Magnus de synderesi et conscientia disserit Thomas Aquinas — cuius tamen expositio brevior est —: Summa theol. p. I quaest. 79, art. 12 et 13 (ed. Lugd. 1738 p. 179 ss.). de synderesis notione Thomas haec docet. synderesim non esse potentiam sed habitum. tenendum enim esse, ratiocinationem hominis, cum sit motus quidam, progredi ab intellectu aliquorum, scil. naturaliter notorum, absque investigatione rationis sicut a quodam principio immutabili: et ad intellectum etiam terminari, in quantum iudicemus per principia per se naturaliter nota de his, quae ratiocinando inveniantur. constare autem, sicut ratio speculativa ratiocinetur de speculativis, ita rationem practicam ratiocinari de operabilibus. quare necesse esse, ut naturaliter nobis insita sint principia operabilium, sicut principia speculabilium, principia autem speculabilium ad specialem quendam habitum pertinere, qui sit intellectus principiorum. ergo et principia operabilium nobis naturaliter insita pertinere ad specialem habitum naturalem. hunc autem esse synderesim. unde synderesim dici instigare ad bonum et murmurare de

malo, in quantum per prima principia progrediamur ad inveniendum et iudicemus inventa. ergo patere, *synderesim non esse potentiam sed habitum naturalem.*

De conscientia autem apud Thomam haec leguntur. „*Conscientia*“, inquit, „si proprie sumatur, potentia non est, sed *actus, quo scientiam nostram ad ea, quae agimus, applicamus:* quam applicationem sequitur vel ligatio vel excusatio ... hoc patet tum ex ratione nominis, tum etiam ex his, quae secundum usum loquendi conscientiae attribuuntur. conscientia enim importat secundum proprietatem vocabuli ordinem scientiae ad aliquid, nam conscientia dicitur tum alia scientia: applicatio autem scientiae ad aliquid fit per aliquem actum. idem autem apparet ex his, quae conscientiae attribuuntur. dicitur enim conscientia testificari, ligare, vel instigare, vel etiam accusare, vel remordere et reprehendere. et haec omnia consequuntur applicationem alicuius nostrae cognitionis vel scientiae ad ea, quae agimus. quae quidem *applicatio fit tripliciter.* uno modo, secundum quod recognoscimus, aliquid nos fecisse ... secundum hoc conscientia dicitur testificari. alio modo applicatur; secundum quod per nostram conscientiam iudicamus, aliquid esse faciendum vel non faciendum. et secundum hoc dicitur conscientia ligare vel instigare. tertio modo applicatur, secundum quod per conscientiam iudicamus, quod aliquid, quod est factum, sit bene factum vel non bene factum. et secundum hoc conscientia dicitur accusare seu remordere. patet autem, quod omnia haec consequuntur actualem applicationem scientiae ad ea quae agimus. unde proprie

loquendo conscientia nominat actum, quia tamen habitùs est principium actus, quandoque nomen conscientiae attribuitur primo habitui naturali, scil. synderesi ... habitus, ex quibus conscientia informatur, etsi multi sunt, omnes tamen efficaciam habent ab uno primo principio, scil. ab habitu primorum principiorum, qui dicitur synderesis. unde specialiter hic habitus interdum conscientia nominatur."

Thomas Aquinas igitur cum Alberto de nostra quaestione maximam partem consentit; nisi quod triplicem illam conscientiae rationem statuit, recognoscendi videlicet facta, de faciendis iudicandi, bene et male facta censendi.

Ad Mysticorum doctrinam transeuntes ab Abaelardo incipiamus necesse est. quamquam enim Abaelardus Scholasticis adnumerari solet, tamen in nostra quaestione a Mysticis propius abesse videtur, cum conscientiam non, quid notione sit, sed ea ratione describat, qua ad vitam bene instituendam pertinet.

Ex eius igitur doctrina, quae in Ethica seu libro, qui inscriptus est: Nosce te ipsum (Pezii Thesaur. Anecd. noviss. III, 2), tradita ĕst, huc spectant, quae sequuntur. „Peccatum est contemptus Dei, sive consensus in eo, quod credimus propter Deum dimittendum." distinguit autem Abaelardus peccati gradus quattuor: „vitium ... animi, quod ad peccatum pronos facit; ac ... ipsum peccatum, quod in consensu mali vel in contemptu Dei statuimus; deinde mali voluntatem, malique operationem" (c. 3). facto ipso i. e. quarto gradu peccatum non augetur. „opus peccati

non proprie peccatum dicitur, vel quidquam non addit ad peccati augmentum" (c. 5). cum turpiter factum proprie peccatum non modo non dicatur, sed ne augeat quidem peccatum, omnia posita sunt in animo vel in intentione. (c. 9): „... ab eodem homine cum in diversis temporibus idem fit, pro diversitate tamen intentionis eius operatio modo bona, modo mala dicitur." hanc intentionem a Domino ipso ut verum factorum fontem designatam esse, docet Abaelardus c. 12: „diligenter Dominus, cum secundum intentionem rectam vel non rectam distingueret, oculum mentis, h. e. intentionem simplicem et quasi a corde puram, ut clare videre possit, aut e contrario tenebrosam vocavit, cum diceret: si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit; h. e. si intentio recta fuerit, tota massa operum inde provenientium, quae more corporalium rerum videri possit, erit luce digna, h. e. bona. sic e contrario ..." cum intentione Abaelardus coniungit conscientiam. intentionem enim nunquam conscientiae adversari debere. „non est peccatum," inquit, „nisi contra *conscientiam*" (c. 13). igitur si quis contra conscientiam aliquid faciat, peccat, quia eius intentio conscientiam non sequitur. (c. 14): „... sic et illos, si persequantur Christum vel suos, quos persequendos credebant, per operationem peccasse dicimus; qui tamen gravius culpam peccassent, si contra *conscientiam* eis parcerent." ex quo loco sequitur, homines etsi conscientiam sequantur, tamen nonnunquam peccare. attamen Abaelardus, postquam concessit (c. 14) „infidelitatem" quoque et „ignorantiam" peccata esse, „proprie tamen," inquit, „peccatum illud dicitur, quod nunquam

sine culpa contingere potest.“ gravissimum vero peccatum atque „irremissibile“ esse, contra conscientiam blasphemare. „quicunque igitur“, inquit c. 22, „sic in Christum peccaverunt, dicendo scilicet contra *conscientiam*, eum in Beelzebub, principe daemoniorum, eicere daemonia, ita prorsus a Dei regno sunt proscripti.“

Cum igitur Abaelardus doceat, omnem factorum aestimationem in intentione positam esse, intentionem autem conscientiae nunquam adversari debere, patet eum censere, hominis facta ex illo principio aestimanda esse, quod supra nominavimus „Gesinnung.“

Cum Abaelardus in libro supra laudato id praecipue agat, ut praecipiat, qua ratione et quo animo homo unumquidque facere debeat, Bernardus, eius aequalis, universae magis hominis Christiani vitae rationem habet. cum autem nostra intersit ut aetatis illius de conscientia doctrinam exponamus, cum Bernardi tum aliorum scriptis, quae sub illius nomine circumferuntur, utemur in explananda Bernardi doctrina.

Bernardus cum Abaelardo in eo quidem consentit, quod docet, veram uniuscuiusque facti aestimationem in hominis intentione positam esse. Serm. 71 in Cant. (opp. ed. Horstius Col. 1641, t. III, p. 114): „Colorem“, inquit, „operi tuo dat cordis intentio et iudicium *conscientiae*. nigra sunt vitia, virtus candida est. inter hanc atque illa *conscientia* consulta discernit. quod ergo de corde puro et *conscientia* egreditur bona, candidum est et est virtus. si autem et bona fama secuta fuerit, et lilium est, quippe cui nec candor lilii desit nec odor. quodsi in *conscientia* naevus fuerit, nec,

quod ex ea prodierit, carebit naevo. nam si radix in vitio, et ramus ... erit quidem virtus contenta candore *conscientiae*, ubi sequi non poterit odor famae; ceterum odor famae nec excusare sufficit vitium *conscientiae* discoloris.“ Tract. de int. dom. 2: „Domus, quae est *conscientia*, innititur septem columnis: bona voluntas, memoria, cor mundum, animus liber, spiritus rectus, mens devota, ratio illuminata. omnium praestantissima est bona voluntas, sine qua nemo salvari potest.“ De vita solit. (t. V, p. 89) Bernardus dicit, hominum alios bonos, alios malos vitae fines persequi, et pergit: „hi utrique quamdiu simul sunt in actu, homines vident similes actiones, Deus autem voluntates discernit et intentiones. cum vero unusquisque redit in sua, unumquemque ex fructibus intentionis suae pascit *conscientia* sua. nec tamen ab utroque aeque ad *conscientiam* reditur, quia nemo ad eam redire amat post actionem, qui recta intentione ad agendum ab ea non proficiscitur.“

His locis voces: cor purum, intentio, conscientia, voluntas promiscue usurpantur; atque, cum Abaelardus conscientiam ut regulam designet, contra quam animum tendere nefas sit, Bernardus ut radicem eorum describit. at conscientia ex Bernardi sententia non solum radix est factorum, sed etiam impulsus ad vitae conversionem. peccatorum enim conversio est „opus divinae vocis, non humanae“ (Tract. de conv. ad cler. l. l. IV, 103). haec vox ab unoquoque auditur; nam „ipsa se offert, ipsa se ingerit, nec pulsare interim cessat ad ostia singulorum ... etenim non tantum vox virtutis, sed radius lucis annuncians pariter hominibus

peccata eorum et illuminans abscondita tenebrarum. nec vero ulla huius vocis et lucis differentia est ... quid enim illo agitur sive radio sive verbo, nisi ut noverit (anima) semet ipsam? aperitur siquidem *conscientiae* liber, revolvitur misera vitae series, tristis quaedam historia replicatur, illuminatur ratio et evoluta memoria velut quibusdam eius oculis exhibetur ... (anima) contra suam statuta faciem et a violentis quibusdam apparitoribus, immissarum utique cogitationum, coacta proprio interim iudicanda assistere tribunali ..." ibid. „haec vox Domini omnibus est obvia et ad *conscientiae* tribunal etiam inviti pertrahuntur." illa igitur voce homo, ut se ipse cognoscat, impellitur; et hanc cordis scientiam sui ipsius conscientiam esse dicit Bernardus. Tractat. de int. dom. c. 11 (V, 148 s.): „... cor enim et se novit sua *conscientia* et multa alia. quando novit se, appellatur *conscientia*." ergo hac scientia facta nostra cognoscimus, quo fit, ut saepe memoriae vice fungi videatur. De mor. et off. ep. c. 6 (IV, 29): „sanum vas et inconcussum *conscientia*, et secretis servandis idoneum nullis patens insidiis, nulli violentiae cedens, nulli quippe oculo vel manui accessabilis, excepto dumtaxat spiritu, qui scrutatur etiam alta Dei ... nam quacunque vado ego, ipsa it mecum, secum ferens depositum, quod servandum acceperit, adest vivo, mortuum sequitur ..." De conv. ad cler. c. 4: „... amara impressit (pruritus delectationis iniquae et voluptatis illecebra) signa memoriae, vestigia foeda relinquit ..." quare conscientia vocatur liber. De int. dom. c. 15: „unicuique est liber sua *conscientia*." cp. 18: „eripe me, Domine, ab homine malo, i. e. a me ipso ... ubi-

cunque vado, *conscientia* mea me non deserit, sed praesens adsistit, et quidquid facio, scribit ... iudicium propriae *conscientiae* fugere non valeo ... proprii reatus *conscientia* non me requiescere sinit, sed de die in diem vehementer me torquet, et de die iudicii vehementer me terret ..." hunc autem animi statum homo immutat poenitentia et continentia, „quae *conscientiam* bonam faciunt" (Serm. 45 de divers., II, 236). ubi vero homo bonam conscientiam nactus est, viam puritivam vel ascesis primum gradum perfecit. eiusmodi hominis conscientia est paradisus — Serm. 3 in ant. Salve Reg. (V, 292) —, et „Domini vinea, quam excolere debent ... exhibitio bonorum operum et custodia eorum." De int. dom. c. 15: „tabernaculum, in quo post militiam requiescunt homines." De mor. et off. ep. 4 (IV, 27): „... cum tali (bona) *conscientia* (homo) nihil formidat ... ipsam denique, si necesse est, intrat gehennam. securus medias penetrans flammas laeta decantat *conscientia*." causam vero conscientiae potestatis Bernardus hanc affert: „Est ergo testimonium *conscientiae*, in quo gloriatur apostolus, non quod perhibeat *conscientia*, sed quod loquitur spiritus veritatis in ipsa, testimonium perhibens spiritui nostro, quod filii Dei sumus." est igitur ex Bernardi doctrina conscientia radix factorum, praecipue vero ad bene honesteque vivendum impulsus perpetuus atque divina auctoritate praeditus.

Ea, quae Bernardus vitae populi ordinandae caussa populariter scripserat, a posterioribus, ita ut certum systema mysticum efficerent, composita sunt. ad quam

rem Pseudo-Dionysii Areopagitae scripta, quae tunc maxime legebantur, multum valuerunt. Hugo a St. Victore quidem, qui in hoc ordine Bernardo proximus est, Abaelardum sequitur, cum tradat, intentionem in hominum factis maximi aestimandam esse; sed eo quod censet, intentionis meritum aut culpam, cum factum accesserit, augeri, Abaelardi doctrinam excedit. cf. Liebner, Hugo v. St. V. p. 464. de theologia mystica autem Hugo bene meruit, quod notiones, quae illuc pertinent, collegit. nam eas quoque, quas ex Dionysii Areopagitae scriptis desumpserat, ad Christianorum fidei formam accommodavit. redegisse autem illas notiones in certum quendam ordinem, Mysticorum qui sequuntur laus est. cf. Liebner l. l. 324. 337. quid vero Hugo a St. Victore de conscientia statuerit, referre non possum, cum saepius quidem sed frustra eius scripta petierim. Richardi autem a St. Victore scriptis, cum nihil novi afferant (Liebner l. l. 348), omissis, ad Bonaventurae de conscientia doctrinam transimus.

De viribus, quibus homo a Deo praeditus sit, Bonaventura in Breviloquio p. II, c. 9 (opp. ed. Paris. 1647. t. I, p. 20 s.) haec docet: „De toto autem homine in paradiso collocato haec tenenda sunt ... (multa hic naturae et gratiae dona nominantur): iuxta quae datum est sibi quadruplex adiutorium, scil. scientiae, ***conscientiae***, ***synderesis*** et gratiae, ex quibus sufficienter habuit, ut posset stare in bono et proficere; et a malo cavere et declinare ... et quoniam homo ratione naturae defectivae ex nihilo formatae, nec per gloriam confirmatae, poterat cadere, benignissimus Deus quadruplex contulit ei adiutorium, scil. duplex naturae et

duplex gratiae. duplicem enim indidit rectitudinem ipsi naturae, videlicet unam ad recte iudicandum, et haec est *rectitudo conscientiae:* aliam ad recte volendum, et haec est *rectitudo synderesis*, cuius est remurmurare contra malum, et stimulare ad bonum." propositum autem homini est, ut ascendat ad Deum. Deus enim est summum bonum, et „summi boni fruitio" hominis „beatitudo" est (Itiner. mentis in Deum l. l. II, 131). cum autem summum bonum extra nos positum sit, necesse est, ut homo „supra se ipsum ascendat." quod tribus quos habet oculis efficere potest. illi enim tres hominis oculi sunt: „animalitas seu sensualitas ad corporalia; spiritus qui aspicit res intra se et in se; tertius est supra se mens." quibus in aspectibus, ut ait Bonaventura, si partem, qua cognoscimus, a parte, qua cupimus, distinguas, „tres gradus ascendunt ad senarium ... iuxta sex gradus ascensionis in Deum sex sunt gradus potentiarum animae, per quos ascendimus ab imis ad summa, ab exterioribus ad intima ... scil. sensus, imaginatio, ratio, intellectus, intelligentia, apex mentis seu synderesis scintilla. hos gradus habemus in nobis plantatos per naturam, deformatos per culpam, reformatos per gratiam. cet." (l. l.). synderesis igitur ea est animae potestas, qua homo cum Deo unitur; quam doctrinam, ut infra videbimus, clarius exposuit I. Gersonius.

Conscientiam Bonaventura primum tripliciter definit. Centiloq. p. I, sect. 11 (I, p. 63): „*Conscientia* uno modo dicitur superior pars rationis, quam Graeci *synderesin* vocant, et apud nos scintilla conscientiae potest dici ... differunt tamen secundum rationem syn-

deresis et conscientia. nam synderesis iudicat faciendum, id est, dignum fieri; conscientia vero iudicat faciendum, id est, debitum fieri. alio modo dicitur *conscientia habitus naturalis* dictandi bonum vel malum ... secundum hoc conscientia nunquam errat. tertio dicitur *conscientia opinio* habita de agendis vel non agendis, id est, debitis fieri vel non fieri, formata. hoc modo conscientia est habitus acquisitus frequenter erroneus.“ ex his definitionibus perspicuum est, etiam Bonaventuram syllogismi formulam adhibuisse, ut synderesis, rationis et conscientiae munera distincte designaret (Compend. theol. lib. II, c. 52 — t. II, p. 743 —). tum „de *conscientia* quoque“, inquit Bonaventura l. l., „sciendum, quod quandoque respicit praeteritum, quandoque praesens, quandoque futurum.“ deinde de conscientiae nomine disserens l. l.: „*conscientia*“, inquit, „componitur ex *con* et *scientia*, unde conscientia dicit duo, scil. scientiam, et secundum hoc conscientia est habitus naturalis, non solum cognitivus, sed etiam motivus; inclinat enim animam ad prosecutionem boni et fugam mali. alio modo conscientia dicit acceptationem ex parte rationis, quod notatur hac praepositione: con. primo igitur modo, prout *conscientia* includit scientiam in se, habet se sicut superius et coniungitur synderesi et semper est recte. secundo modo coniungitur magis rationi et sic se habet sicut inferius: hoc modo recipit errorem et conturbationem.“ denique conscientiam Bonaventura sic definit: „*conscientia* est *naturale iudicatorium*, quid faciendum vel non faciendum sit“ (Term. theol. t. I, p. 212).

Magis etiam reliqua, quae Bonaventura de synderesi

et conscientia disseruit, cum iis, quae Albertus Magnus et Thomas Aquinas de hac re docent, consentiunt. attamen eo ab Alberto nonnihil differt Bonaventura, quod censet, synderesim quoque esse deformatam peccato et reformatam gratia, cum Albertus docuerit, synderesim esse aliquid in hominis natura integrum.

Longius et accuratius, quam reliqui Mystici de synderesi et de conscientia agit I. Gersonius. de synderesi eius doctrina elucet ex Mystic. theol. specul. p. II (de natura animae rationalis) — Gersonii opp. ed. du Pin, Antwerp. 1706, t. III, p. 369 ss. —. animae vires, „quasi essent penitus in natura distinctae", ducit esse sex, dividens (l. l. p. 370) „primo animam rationalem in intelligentiam simplicem, secundo in rationem, tertio in sensualitatem vel animalitatem vel potentiam cognitivam sensualem. hoc quoad vires cognitivas, et quoad affectivas proportionaliter: primo in *synderesim* seu *mentis apicem*, secundo in voluntatem vel appetitum rationalem, tertio in appetitum animalem." ergo „vires affectivae proportionales cognitionis sunt: synderesis, voluntas et appetitus sensitivus" (p. 372). „*synderesis* est *animae vis appetiva* suscipiens immediate a Deo naturalem quandam inclinationem ad bonum, per quam trahitur insequi monitionem boni ex apprehensione simplicis intelligentiae praesentati. quemadmodum namque se habet intelligentia respectu veri primi et certi, ita synderesis respectu boni finalis sine mixtione malitiae simpliciter praesentati. quoniam simplex intelligentia sicut non potest dissentire talibus veritatibus agnitione habita, quid termini significent: ita non potest synderesis nolle positive principia prima moralium, dum sibi

per intelligentiam ostensa sunt ... iuxta hoc tripliciter uti possumus nomine synderesis, aut prout est inclinatio talis, de cuius quidditate probabilitas est, utique talis, qualem de quidditate simplicis intelligentiae posuimus. aut synderesis dicit actum huius virtutis consequentem ex apprehensione huius intelligentiae. aut tertio dicit habitum ex actibus frequentatis ingenitum ... synderesim autem aliis nominibus appellamus vel habitum practicum principiorum, vel scintillam intelligentiae ratione cuiusdam suae evolationis et ardoris ad bonum, vel portionem virginalem, vel stimulum naturalem ad bonum, vel apicem mentis, vel instinctum indelebilem, aut aliquo tali nomine, ut quod est coelum supremum in affectivis potentiis.“ Consid. 21 (p. 378). iisdem de necessitudine inter animae vires cognitivas et affectivas propositis suum cuique animae virtuti munus tribuit, videlicet tribus cognitionis virtutibus cogitationem, meditationem et contemplationem; „his respondent tres affectionis maneries, quae sunt cupido vel libido seu concupiscentia; secundo devotio vel contritio seu compunctio aut oratio; tertio dilectio, non quaecunque, sed exstatica et anagogica, i. e. sursum ducens et rapiens in divina ...“ haec affectuum nomina se ab aliis accepisse negat Gersonius. itaque synderesis a Gersonio cogitatur tanquam summus affectuum gradus, in quo sistens homo quasi supra se ipse ascendit et cum Deo uniri appetit (l. l. p. 383: „theologia mystica est extensio animi in Deum per amoris desiderium“). est igitur synderesis illa animae vis, quae a Deo proxime abest. hac cum definitione synderesis consentiunt quae Gersonius de ea profert in Comp. theol.

(t. I, p. 365): „synderesis est vis motiva seu potentia naturalis animae rationalis, quae semper nata est figi in superioribus, naturaliter movens et stimulans ad bonum, et abhorrens malum. et in istis nunquam est errans, nec secundum synderesim est peccare. et dicunt aliqui, synderesin esse conscientiam vel conscientiae iudicium, et dicitur etiam vis imperativa, qua semper de se imperat, et inclinat ad bonum."

Cum synderesis sit vis motiva seu potentia naturalis, vocatur conscientia vel conscientiae iudicium. „*conscientia* enim", inquit Gersonius (Compend. theol. „de esse natura et qualitate conscientiae" — t. I, p. 398 s.), „duo dicit et importat. primo dicit ... scientiam, et secundum hoc conscientia dici potest quidam *habitus naturalis*, non solum cognitivus, sed etiam motivus: movet enim et inclinat animam ad bonum persequendum et malum fugiendum. et isto modo ... habet se ut superius coniungiturque ipsi primo habitui naturali superiorique lumini rationis, quod synderesis dicitur ... et tunc conscientia de se semper recta est; nam tunc circa universalia agibilium sicut ipsa synderesis versatur. secundo vero dicit *conscientia* et magis proprie quandam *acceptionem* seu *acceptationem ex parte rationis*. etenim *conscientia* ... nihil aliud est, quam applicatio quaedam seu ordinatio scientiae ad aliquem actum, scientia autem in ratione est ... dicitur enim quasi cum alio scientia ... et tunc magis est actus quam habitus seu potentia ... et dicitur quoddam dictamen rationis."

Si conscientia est „applicatio scientiae" ad hominis actus, haec autem ex rationis iudicio fit, intellegitur,

conscientiam saepe erraturam esse: errat enim saepe hominis ratio. cum conscientia errans persaepe in scriptis theologorum medii aevi commemoretur et copiose tractetur, nos tamen nusquam adhuc de hac conscientia dixerimus, necesse est, ut hoc loco de conscientia erronea pauca disseramus. ea enim, quae teste Gersonio illis theologis cum doctrina de conscientia erronea cohaerere visa sunt, omittamus, cum nostram quaestionem excedere videantur. Gersonius igitur, ubi de „esse natura et qualitate conscientiae“ exponit (t. I, p. 398 ss.), ibi duas de hac re sententias refert, quae illo tempore praestantiores fuisse videntur. proponit autem hanc quaestionem: „utrum conscientia errans obliget?“ quam quaestionem Thomam secutus eandem esse dicit atque illam: „utrum voluntas a ratione errante discordans sit mala et peccet.“ priorem de hac re sententiam hanc esse docet. „nonnulli“, inquit, „triplicem distinxerunt qualitatem actuum: ... aliqui sunt de se suoque genere seu natura boni, alii de se suoque genere seu natura mali, alii sunt indifferentes ... dicunt respectu actuum duarum primarum qualitatum . . . si ratio vel conscientia ... iudicet et dictet contra verum eorum esse ... et exinde conscientia dictat, illud esse prohibitum (et invicem), manifestum est ibi error ... (et) ratio vel conscientia errans ... non obligat, unde voluntas a tali ratione ... sic errante ... discordans non est mala nec peccat.“ de actibus autem indifferentibus illos docuisse refert Gersonius, rationem vel conscientiam in eiusmodi actibus errantem obligare, „ita quod voluntas a tali ratione ... discordans ... est mala et peccat.“ huic sententiae Gersonius assentire videtur, cum, quis

eius auctor fuerit, non dicat. refert autem deinde Thomae de hac re doctrinam, quam cognoscere nostra imprimis interest, cum Thomas omnium illius temporis theologorum optime de hac re disseruerit. sequimur autem Gersonii expositionem, ut rem quam brevissime absolvamus. dicit Gersonius: „sed istam propositionem partim approbat, partim impugnat B. Thomas . . . in quantum enim ponit, quod ratio vel conscientia circa actus de se suoque genere seu natura indifferentes errans obligat, voluntasque a tali ratione discordans mala est et peccat, eam approbat; sed in quantum ponit, quod ratio vel conscientia circa actus de se . . . bonos vel malos errans non obligat . . ., impugnat . . . et causam assignat: certum est enim, quod proprium obiectum et a quo ac secundum quod ipsius voluntatis bonitas et malitia dependet et accipi debet, est illud, quod sibi a ratione obiicitur seu supponitur: non quidem secundum quod illud ex se ipso . . . sed secundum illam qualitatem in bonitate vel malitia, secundum quam ab ipsa ratione apprehenditur et ipsi voluntati obiicitur seu proponitur. etenim ratione voluntatem movere habet et movet secundum obiecti sui apprehensionem.“ itaque non re ipsa, sed a „qualitate, sub qua a ratione apprehenditur“, pendet, utrum voluntas bona sit an mala. ubi enim voluntas rationis vel conscientiae iudicio repugnat, peccat. voluntas bona et mala redditur, si homo bonum vel malum „facit sub debita qualitate . . . concludit B. Thomas: quod omnis voluntas . . . a ratione sive recta sive errante discordans . . . semper mala est et peccat.“ his verbis Thomas rationem vel conscientiam ut regulam ab homine

in agendo sine ulla exceptione observandam proponit, ita ut quivis a ratione vel conscientia diclinet, peccet. illustrat sententiam suam Thomas exemplis, quorum unum hoc est. in Christum credere per se bonum esse et ad salutem necessarium; voluntatem tamen ad illud bonum non duci, nisi ita ut a ratione ei obiciatur vel proponatur. itaque hominem, qui repugnante ratione in Christum crederet, peccaturum esse, quamvis illud in Christum credere per se suaque natura bonum sit. conscientiae enim dictamini non obtemperare „semper est“, inquit Thomas, „saltem interpretative Dei contemptus.“

Ex hac Thomae doctrinae expositione elucet, Thomam primum diserte docüisse, hominem, qui conscientiam suam sequatur, non peccare. quamquam enim haec sententia ex illa Abaelardi: nullum esse peccatum nisi contra conscientiam, sequitur, tamen Abaelardus eam efferre non conatus est. igitur in hac quoque quaestione Thomas laudem illam meruit, quam Neander ei tribuit his verbis: „In der Sittenlehre der Scholastiker scheint Thomas v. Aqu. Hauptrepräsentant, der für die Entwickelung der Sittenlehre nach Aristoteles gewifs das Gröfste geleistet hat“ (Abh. d. Berl. Ak. d. W. 1846. phil. h. Cl. p. 375).

Reliquum est, ut proponamus quae nobis de synderesis notionis origine statuenda esse videntur. loci, quos Scholastici, ut sententias suas de synderesi probent, ex „philosopho“ atque ex patribus afferunt, vocem synderesis non tangunt, uno excepto qui legitur apud Hieronymum, Comment. in Ezechielem lib. I, c. 1 (opp.

ed. Vallarsius t. V, p. 10). pluribus Ezechielis visionis interpretationibus prolatis Hieronymus pergit: „plerique iuxta Platonem rationale animae et irascitivum et concupiscitivum, quod ille λογικὸν et θυμικὸν et ἐπιθυμητικὸν vocat, ad hominem et leonem et vitulum referunt, rationem et cognitionem et mentem et consilium, eandemque virtutem atque sapientiam in cerebri arce ponentes: feritatem vero et iracundiam atque violentiam in leone, quae consistat in felle. porro libidinem, luxuriam et omnium voluptatum cupidinem in iecore, id est, in vitulo, qui terrae operibus haereat. quartamque ponunt, quae super haec et extra haec tria est, quam Graeci vocant *συντήρησιν*, quae *scintilla conscientiae* in Cain (al. in Adam) quoque pectore, postquam eiectus est de paradiso, non extinguitur, et qua victi voluptatibus vel furore, ipsaque interdum rationis decepti similitudine, nos peccare sentimus. quam proprie aquilae deputant, non se miscentem tribus, sed tria errantia corrigentem, quam in scripturis interdum vocari legimus spiritum, qui interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus (R. 8, 26). nemo enim scit ea, quae hominis sunt, nisi spiritus, qui in eo est. quem et Paulus ad Thess. scribens (1, 5) cum anima et corpore servare integrum deprecatur, et tamen hanc quoque ipsam *conscientiam*, iuxta illud, quod in Proverbiis scriptum est: impius cum venerit in profundum peccatorum, contemnit, cernimus praecipitare apud quosdam et suum locum amittere, qui ne pudorem quidem et verecundiam habent in delictis, et merentur audire: facies meretricis facta est tibi, noluisti (nescis) erubescere. hanc igitur quadrigam in aurigae modum

Deus regit, et incompositis currentem gradibus refrenat, docilemque facit et suo parere cogit imperio.“

Qui vero sunt illi Graeci, qui conscientiae scintillam συντήρησιν vocaverunt? cum Hieronymus permulta Origini debeat, iam videndum est, ecquid de synderesi Origines tradiderit. Origines commentariorum in Ezechielem scripserat viginti quinque volumina (cf. Eus. Hist. eccl. VI, 6), quae perierunt. homiliae tamen eius in Ezechielem exstant ab Hieronymo in linguam Latinam versae. locus, qui huc spectat, legitur homil. I, 16 (Origin. opera ed. de la Rue III, p. 361): „haec ipsa animalia“, inquit, „habent similitudinem super se hominis, cum sint quattuor facierum. nec dictum est in principio, quia facierum quattuor sint, sed quia inter quattuor facies eminet et principatum tenet facies humana, describitur, et quae dicitur facies humana et facies leonis a dextris quattuor partium et facies vituli a sinistris quattuor et facies aquilae a quattuor partibus. videamus ergo, an tripartitam animam significet, de qua etiam aliorum opinionibus disputandum est, ut animae tripartitae alia quarta fortitudo praesideat. quae est tripartitio animae? per hominem rationale eius indicatur, per leonem iracundia, per vitulum concupiscentia. spiritus vero, qui praesidet ad auxiliandum, non est a dextris ut homo vel leo, non est a sinistris ut vitulus: sed super omnes tres facies consistit. aquila quippe in alio loco nuncupatur, ut per aquilam spiritum praesidentem animae significet. spiritum autem hominis dico, qui in eo est. atque ita omnia ducuntur nutu Dei, coelestia, terrestria et inferna, et ea quae super coelos sunt.“ apparet, Hieronymum in Comm. suis in

Ezechielem locum supra laudatum ex Originis commentariis desumpsisse. quam rem probat etiam aliud. Catenae enim, quae vocantur, in Ezech. versum significatum sub nomine Originis habent haec: *ἔστιν ἰδεῖν ἐν ἑκάστῳ ζῴῳ τὴν ψυχὴν, ἐν ἑκάστῳ δὲ προσώπῳ τὰς δυνάμεις αὐτῆς· τὸ λογιστικὸν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ· τὸ θυμικὸν ἐν τῷ λέοντι· τὸ ἐπιθυμητικὸν ἐν τῷ μόσχῳ· ἐν δὲ τῷ ἀετῷ τὴν βοηθοῦσαν δύναμιν· ὅθεν οὔτε ἐκ δεξιῶν ταῦτα εἶπεν, οὔτε ἐξ ἀριστερῶν· ἀλλὰ δηλονότι τῶν τρίων ἀνωτέρω. τοῦτο δέ ἐστιν, ὥς φαίνεται, τὸ πνεῦμα τοῦ ἀνθρώπου τὸ ἐν αὐτῷ, τὸ βοηθοῦν τῇ ψυχῇ, καὶ τοῦτο οὕτως νοούμενον οὐκ ἀσφαλές, ἕτερον δὲ τοῦτο τὸ πνεῦμα μὴ λεγέσθω εἶναι παρὰ τὸ ἡγεμονικόν.* Originis verbis cum iis quae Hieronymus de hac voce tradidit, comparatis, sequi videtur, Originem hac voce, *συντήρησις,* usum esse, eaque hominis spiritum, quem alibi (cf. supra p. 60) conscientiam nominavit, designasse. voces igitur *συνείδησις* et *συντήρησις* apud Originem hominis spiritum significant, qui *ἀνεπίδεκτος τῶν χειρόνων* esse dicitur (cf. supra p. 61). Originis de hominis anima doctrina philosophicam et librorum sacrorum doctrinam coniunctas continet, ut vocabula *τὸ πνεῦμα* et *τὸ ἡγεμονικὸν* ostendunt. itaque quaeritur, utrum vox notioque *συντήρησις* a philosophis Graecis, an ab illo tempore, ubi praecipue Alexandriae doctrina Christiana cum Graecorum philosophia confluxit, initium ceperit. quamquam, quod Albertus prodidit philosophos hac voce non usos esse, contemnendum non est, tamen probabile est, et vocis et notionis radicem in philosophia quaerendam esse. significat autem *συντήρησις* conservationem. itaque, si perpendi-

mus quod Albertus dicit, synderesim illud esse, quod rectum et integrum ex omnibus animae viribus post peccatum permanserit, ergo illud hominis naturae bonum esse, quod homo post peccatum servaverit, apparet, hanc Alberti notionem et vocis illius significationem inter se cognatas esse. haec autem *συντηρήσεως* notio Christianorum de hominis naturae depravatione doctrina restricta est. quem notionis finem si sustuleris, restat ut statuas, *συντήρησιν* conservationem eorum esse, quae homines a natura acceperunt. haec vero in Stoicorum philosophia significatio est verbi *τηρεῖν*. nam apud Diog. L. VII, 85 legimus: „*ὁρμὴ ἡ πρώτη τοῖς ζῴοις σύνεστιν ἐπὶ τῷ τηρεῖν ἑαυτά.*“ si autem servandi notio ad hominem restringatur, patet, illa imprimis servanda esse, quae *τοῦ ἡγεμονικοῦ* propria sunt ut divina eius natura. utrum Stoici recentiores — illa enim verba Chrysippi sunt — an Christiani an alii *συντήρησιν* vocem ipsam finxerint, incertum quidem est: sed cum Origines, quod Stoici docuerant, hominis conscientiam esse *τὸ ἡγεμονικόν*, sibi vindicaverit, etiam hanc sententiam ab illis recepisse et in christianam vertisse videtur. Stoici quidem illud *τηρεῖν* et *συνείδησιν* coniunxerant (cf. verba Diog. supra p. 27 allata). alia, quae Origines de hac notione docuit, temporum iniuria cum eius scriptis perierunt. Scholastici demum, qui ex philosophia et e patrum Graecorum scriptis natura aestimationem receperant, hanc quoque notionem revocaverunt eamque in summo loco posuerunt. ergo et huius notionis radix illius philosophiae est, quae hominibus praecepit, ut ideam natura ipsis insitam absolverent atque perficerent.

Ex his omnibus, quae protulimus, intellegi potest, qua de causa apud Scholasticos duae conscientiae notiones inter se differentes in usu fuerint. nam iste hominis habitus moralis, qui natura sua ad bonum inclinat et hominem ad diiudicandum bonum ac malum aptum reddit, nec in libris sacris neque a Patribus conscientiae notione comprehensus erat, ita ut Scholasticis cum omnem condicionem, qua homo natura ad honeste agendum instructus est, conscientiae notione comprehenserint, illud notionis momentum voce propria significandum fuerit, quae vox fuit *συντήρησις*. patet enim hac ratione *συντήρησιν* et conscientiam inter se differre, quam rem Rodehuth de conscientia agens Programmate Paderbornensi 1854. p. 10 sq. recte tractavit.

Conscientiae notio cum primum a Stoicis formata est, omnibus temporibus, quae percurrimus, magis magisque amplificata et pondere aucta est, ita ut Scholastici denique omnem animi vim et facultatem, qua homo in se habet honeste agendi praecepta et regulas, qua ad bonum incitatur atque inclinat, qua factorum suorum conscius est, qua denique sive honeste sive turpiter egit, iudicatur, hac notione comprehenserint. insequentibus autem saeculis conscientiae notio a philosophis et a theologis diversas in partes tractata atque exculta tam late patet, ut eius descriptio vires atque otium desideret, quae mihi nunc non sunt.

VITA.

Iosephus Iahnel natus sum d. I. mensis Novembris anni huius saeculi XXXIV. Bischofswalde, in vico prope Nissam, Silesiae oppidum sito, patre Antonio, matre Magdalena e gente Langer, quos superstites laeta colo pietate. fidem profiteor catholicam. primis litterarum elementis institutus duodecim annos natus gymnasium Nissense, quod rectore Dr. Zastra, viro praeclaro, floret, frequentare coepi. anno h. s. LV. maturitatis testimonio instructus universitatem Viadrinam adii studiisque theologicis et philosophicis per triennium deditus audivi viros illust. et rever. Baltzer, Bittner, Elvenich, Friedlieb, Gitzler, Iunkmann, Movers, Reinkens, Ritter, Stern. posthac novem menses in seminario clericali Vratislaviensi versatus et sacris ordinibus initiatus a. h. s. LIX. Berolinum me contuli, ut in alma litterarum universitate Friderica Guilelma studiis philosophicis vacarem. per quinque semestria scholis interfui virorum clarissimorum: Boeckh, Haupt, Hirsch, Muellenhoff, Ranke, Trendelenburg. item exercitationum philosophicarum, quas Trendelenburg, vir illustrissimus, moderatur, participem me reddidi. quibus viris, et eruditione et humanitate praestantissimis, imprimis vero Trendelenburgio, qui, ut de conscientia quaererem, auctor et suasor mihi fuit, gratias quam maximas nunc ago semperque habebo.

THESES.

1. Aristotelis doctrinae cognitio theologis est necessaria.
2. Ὁ νοῦς πρακτικὸς apud Aristotelem non est conscientia.
3. Voce „religio“ Romani conscientiam non significaverunt.
4. Quod Meinekius (praef. ad Hor. p. XXXIV) de Hor. lib. I, ep. I, vers. 60 s.:

   „. . . hic murus aeneus esto,
   nil conscire sibi nulla pallescere culpa.“

   spurios esse censuit, non probasse videtur.
5. In Kantii doctrina categoriarum deductio genetica desideratur.
6. Quod Volquardsen (Das Daemonium des Socrates p. 16) contendit, σμικρὰ in Platonis Apol. 40 A. ex Atheniensium sententia intellegenda esse, non probavit.
7. Plato in gymnasiis non legendus est.